A. Ω.

CURA VALETUDINIS RELIGIOSORUM,

ad normam naturæ,

ſecundum rationis & experientiæ dictamen,

breviter delineata

à

JO. LUDOVICO BUXTORFIO,

Phil. & Med. D. Baſil. Reipubl. Poliatro.

Artis origo fuit, leges ſervaſſe diætæ,
Tamque ſalutares, quam res didiciſſe nocentes.

HEBENSTREIT, *Carmin. Med.*
P. III. C. I.

Dogmata traduntur ſanæ generalia vitæ,
Omnibus eſt individuis lex una valendi.

ID. *ibid. C.* 3.

Editio ſecunda, in duas Partes diviſa & aucta.



BASILEÆ,



Apud
JOANNEM SCHWEIGHAUSER,
MDCCLXX.

REVERENDISSIMO ac AMPLISSIMO

DOMINO

DOMINO

HIERONYMO II.

INCLYTI MONASTERII

S. VINCENTII BEINWILENSIS

AD B. V. MARIÆ PETRAM,

ORDINIS S. P. BENEDICTI,

ABBATI

MERITISSIMO,

Nec non

PLURIMUM RR. DD.

PP. CAPITULARIBUS

EJUSDEM,

SUA QUISQUE LAUDE HONORATISSIMIS,

Hanc opellam

In tesseram ſtudii, obſervantiæ, & obſequii ſui

Cum voto vitæ & valetudinis proſperæ,

& omnigenæ felicitatis,

ſubmiſſe conſecrat,

Seque perennanti ipſorum Favori

humillime commendat

J. L. B.

Ven. Capit. Ordinar.



A. Ω.

CURA VALETUDINIS RELIGIOSORUM.

PARS I.

DIÆTETICA, DE VALETUDINE PROSPERA TUENDA.

I.



VITA corporis, dum perenni motu interno, fibræ, vaſa, & viſcera agitantur, & jugi fluxu humores per vaſa feruntur, ceu inæſtimabile omnipotentis Dei donum, nemini non mortalium,

ex connato inſtinctu, curæ cordique eſſe ſolet. Eandemque vitæ cuſtodiam, cæteris quoque animalibus in univerſum, exquiſite ingenitam eſſe videmus, utpote quæ incredibili ſtudio ſuæ ſaluti conſulere, & mirabili ſolertia nullas non vitæ inſidias cavere, & effugere norunt.

2. SANITAS autem eſt vitæ perfectio, ſive naturalis, & legitima corporis diſpoſitio, cum omnium functionum integritate, Divinæ bonitatis amabile munus, quod grata mente in pretio habere, omnique ſtudio, & cura cuſtodire, cuivis hominum in votis eſſe debet. Tanta in his terris felicitas, „Mens „ vegeta in corpore ſano! Si ventri bene eſt, ſi la- „ teri eſt, pedibusque tuis, nil divitiæ poterunt „ regales addere majus. HORAT. *Epiſt.* XII. 5.

3. Eo majoris eſt dignitatis ars Apollinea, quæ manus HEROPHILO fuit olim dicta Deorum, vitæ & valetudinis humanæ cuſtos, ejusque tam proſperæ tuendæ, quam adverſæ curandæ magiſtra. Cujus ea pars, quæ Diæteticæ nomen gerit, pro ſcopo habet, Deo dante, ſanitatem præſentem conſervare, morbos imminentes arcere, & corpus, quoad licet, ad longævitatem diſponere.

4. Magno Dei beneficio, ubique terrarum præſto ſunt neceſſaria vitæ præſidia; huic tuendæ perquam idonea, ſi ad almæ naturæ normam in uſum ducantur. Quo nomine apud Medicos vulgo celebrantur ſex res non naturales ſic dictæ, aër, cibus & potus, ſomnus & vigilia, motus & quies, excreta

&

retenta, animique pathemata, quas termino technico, licet minus congruo, ita appellare antiqua consuetudine receptum est.

5. Externis autem vitæ præsidiis, mirifice respondent corporis humani vires internæ conservatrices, omni admiratione dignissimæ, ineffabili almi Creatoris providentia ipsi ingenitæ; quarum ope & efficacia, alimenta ingesta in ore, in stomacho, intestinis, cæterisque visceribus subiguntur, digeruntur, elaborantur, & nutritionis causa in substantiam corporis assimilantur, quæ supersunt cruda, feculenta, alendis partibus inepta, secretionis & excretionis ministerio, per congrua emunctoria tempestive eliminantur. Interea pulmones alterno thoracis motu, aërem inspirando, & exspirando, quasi spiritum vitæ ducunt, sine quo omnis animatio corporis citò periret.

6. Princeps diætæ salubris studium versatur in usu legitimo sex rerum nonnaturalium (5), cui definiendo, partim instinctus naturalis, partim sana ratio cum experientia fideli, leges ponit. Ex connato enim instinctu, quoad integer & incorruptus fuerit, & homines, & quævis animantium genera, ad præsidia sibi congrua, & salutaria feruntur, dum contra quicquid alienum, inimicum, aut perniciosum est, quam maxime aversantur. Inani stomacho, cibi concupiscentia, urgente calore & siccitate, potionis desiderium; & corpore a labore fesso, invincibilis ad quietem, & somnum propensio nascitur. Quæ autem res sint oppidò naturæ consen-

taneæ; & ſalutiferæ, vel ex adverſo inimicæ, & deleteriæ, cum maxime uſus, & experientia patefacit. Cui utique ſana ratio conſentit, ſi recto tramite incedat, & a fallacia ſenſuum, & judicii, ſibi cavere diſcat.

7. Optima vero dux & magiſtra ſalubris diætæ, eſt ipſa hominis natura, vires ſui conſervatrices, ab omnipotentis Dei manu inſitas, admirabili functionum ſuarum virtute, ac harmonia, unicuique mortalium vitæ & valetudinis ſuæ ſtudioſo, evidenter ob oculos ponens, ad cujus adeo dictamen, & normam, tota victus ratio inſtituenda venit.

8. At, cum infinita ſit regionum, & nationum in mundo diverſitas, & nuſquam non ætatis, ſexus, temperamenti, educationis, vitæ generis, conſuetudinis, diſcrimen, nec non anni temporis, cœli, & aëris perpetua viciſſitudo, vix conſtitui poterit ratio victus tam univerſalis, quæ per omnia quibuslibet hominum ex æquo conveniat. Quin potius, quod Empirici apud CELSUM prudenter monent: „ differre pro natura locorum, genera Medicinæ, & „ aliud opus eſſe Romæ, aliud in Ægypto, aliud in „ Gallia (a): idem & quoad alias atque alias cir„ cumſtantias valebit.

9. En tamen aliquas Diætæ leges ſatis generales, & univerſo mortalium generi congruas, & ſalutares, ſed quæ non omnem abſolvunt paginam, niſi pro diver-

(a) *De Medic. L. I. in Præfat.*

diverſitate cauſarum, aliæ atque aliæ ſpeciales, videlicet ad certas conditiones relativæ, adjiciantur.

I. Ad almæ naturæ humanæ normam, ſui conſervatricis optimæ, totam victûs rationem componere.
II. Inſtinctui naturæ automatico; quoad ſincerus fuerit, obſecundare.
III. Salubrem, vel inſalubrem quarumvis rerum effectum, ex ipſo uſu & experientia diſcere.
IV. Vario generi aëris, cibi & potûs, motûs & exercitationis, a puero adſueſcere.
V. Ad motum, & laborem impigrum eſſe; otium & deſidiam vitare.
VI. In victu ſimplicitatem, & temperantiam amplecti.

„Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri,
„Nec minus artis opus, vegetam ſervare ſalutem,
„Quàm fuerit, recto medicamine ducere morbos.
„Ut valeas, alimentorum ſit commodus uſus,
„Optimus aëreis ducatur follibus æther,
„Sit varians alterna quies, cum compare motu,
„Poſt vigiles horas tradantur corpora ſomno;
„Nec moveant placidam violenta pathemata mentem,
„Organa fundendis ſemper ſint pervia ſuccis;
„Quantum quisque poteſt, caſus evitet iniquos,
„Qui ſolidi nexum, fluidorum vincula turbant.
„Has artes Hygiæa docet, Dea prima ſalutis.

HEBENSTREIT, *Carmin. P. III. Hygien. C. II. §. I.*

10. Ve-

10. Verùm ut ſpecialius innoteſcat, qualis Diæta Religioſis regularibus præcipue conveniat, quo Deo dante vitam ſartam tectam, & valetudinem proſperam, & incolumem conſervare, imo etiam longævitatis ſpem aliquam alere queant, neceſſe erit, quælibet vitæ præſidia (5) ſigillatim conſiderare, eorundemque uſum maxime ſalutarem, ſecundum naturæ dictamen breviter exponere.

ANIMUS.

„ Ingentes animi motus compeſce, valebis,
„ Ut tibi mens hilaris fuerit, pectusque quietum.
HEBENSTREIT, *Carmin.*
P. III. C, 8.

11. Alma pax animi, & tranquillitas læta, omni perturbatione vacans, mirum quantum vitæ incolumitati conferre ſolet, quatenus œconomiæ animali in univerſum, ſpirituum motui æquabili, ſanguinis circulationi liberæ, concoctioni & nutritioni, ſecretioni & excretioni ſalutari cum maxime favet. Prout experientia fidem facit, illos mortalium præ cæteris, ex voto & ſententia proſperè valere, & longævitatem adipiſci, qui animo ſereno & tranquillo vitam ducunt. Unde ſalubris regula diætetica fluit: Animi euthymiæ ſedulam operam dare, in eaque magnam ſanitatis fiduciam ponere.

12. Ex adverſo animi fluctus, & impetus, ira, terror, metus, triſtitia, ambitio, avaritia, invidia, & quæ plura ſunt alia pathemata, ſeu aperta,

ſeu

ſeu clandeſtina, ceu naturæ hoſtes infenſi, vitam & valetudinem labefactare, nec raro in exitium præcipitare ſolent, prout exempla paſſim locorum teſtantur, illos omnium minime fauſta & felici valetudine frui, qui animo laborant. Unde iterum regula vitæ fluit: Quævis animi pathmata graviora vitare, ne is gravi cura ſaucius, vel metu, mœrore, deſiderio, cura & ſollicitudine auxius, una cum corpore detrimentum patiatur.

13. Cum vero in Monaſteriis, vita ſedentaria, frequens ſolitudo, animi contentio, & aſſidua literarum ſtudia, meditatio, lectio, lucubratio plurima, emporium animale infirmando, ſæpe in ſpiritibus penuriam, in ſanguine, cæterisque humoribus lentorem, in ſtomacho & inteſtinis flatulentiam, & cruditatem, in viſceribus reliquis inertiam & obſtructionem pariat, ideoque corpus luctuoſo malo hypochondriaco obnoxium reddat, avertendæ hujus calamitatis, & miſeriæ cauſa, ſalubris auxilii prophylactici loco, prodeſſe poteſt animi tempeſtiva recreatio, motus & exercitatio corporis quotidiana, conſortium amicabile jucundum, cum apto in ſtudiis moderamine, & prudenti variatione. Valebunt hic triti vulgo verſiculi:

„ Interpone tuis interdum gaudia curis,
„ Ut poſſis animo quemvis ſufferre laborem.

Et dodecas verſuum ex Carmine Jatropoetæ Lipſienſis:

„ Sint placidi ſemper mores, mens blanda beatæ
„ Eſt ſtabilimentum, ſpes & certiſſima vitæ;

„ Dumque feras non esse sinit sapientia mentes,
„ Et dum virtutum fit conspiratio quædam,
„ Corporis ac animi connectunt mutua vires
„ Vincula, dispereunt errores, crimina cessant,
„ Virtutique studens sua commoda profspicit ipse,
„ Et cavet, & casus mentem convertit in omnes,
„ Prospicit, & cautus ventura pericula vitat,
„ Innocuo fruitur victu, legesve diætæ
„ Solicito servat studio, salvamque salutem,
„ Quantum fata sinunt, sibi debet providus ipsi.

HEBENSTREIT, *Carmin*,
P. III. C. 8. §. 5.

AËR.

„ Aëris, ut valeas, tibi sit selectior usus,
„ Et tempestatis variantis prospice damna.

HEBENSTREIT, *Carmin.*
P. III. C. 5.

14. Quantæ sit ad vitam necessitatis, usus aëris undiquaque nos ambientis, ejusque variata conditio, quantum habeat in valetudinem hominum momenti, neminem fugit. Nimirum aër fluidus, gravis & elasticus, assidua inspiratione, & exspiratione, pulmones & cohærentia organa vitalia movendo, ceu pabulum vitæ animam sustentat, alioqui citò perituram. Sed immensum variat hujus elementi conditio, in orbe amplissimo terrarum, pro diversitate regionum, locorum, cœli tempestatis, ventorum, anni temporum, diei & noctis, &c. quin imò fere numquam non, & nusquam non, quasi perpetua aë-

ris

ris viciſſitudo regnare ſolet. Quocirca tamen naturæ humanæ ita proſpexit alma ſapientiſſimi Creatoris providentia, ut ſalva vita, & ſanitate, omnivario aëri poſſit adſueſcere.

15. Verumtamen alius alio aëre magis aut minus ſalubritate antecellens, ejus uſum prudenter dirigendi, homini ſanitatis ſtudioſo, curam neceſſariam reddit. Fide ac teſtimonio experientiæ, aër omnium ſaluberrimus haberi meretur, qui purus eſt, ſerenus, gravis, ſiccus, temperatus, cum aliqua tamen variatione, ſæpe renovatus, interdum vento perflatus, pluvia depuratus. In tali enim athmoſphæræ conditione, mortales commodiſſime vivere, valere, vigere, imo ſatis longævos reddi, ceteris paribus, fida obſervationum monumenta teſtantur. Adverſæ & infeſtæ magis indolis eſt, aër valde impurus, turbidus, exhalationibus, aut vaporibus ſuſpectis, ſtagnorum, paludum, lacuum, fodinarum, &c. gravidus: Item aër clauſus in cubiculis, muſeis, habitaculis, præſertim anguſtis & humilioribus, diu ſtagnans, vix ulla ventilatione renovatus, aut depuratus: nec non aër magno exceſſu intemperiei, calidæ vel frigidæ, humidæ vel ſiccæ peccans: demum aër halitu, aut vento quodam virulento, vel abdita conſtitutione epidemica, vel miasmate contagioſo infectus, ideoque hominum generi funeſtus.

16. Igitur ad ſcopum ſalubris diætæ, percommodi uſus eſt, cujusvis loci habitabilis naturam, & proprietates, phyſico ſtudio, & obſervatione rimari, & explorare, indeque regulas circa uſum datæ

atmoſphæræ

atmoſphæræ ſibi conſtituere. Quocirca bene eſt, præſto habere baroſcopia, thermoſcopia, hygroſcopia, tanquam idonea inſtrumenta, quæ manè ac veſperi diligenter inſpecta, indies atmoſphæræ ſtatum, & mutationem ob oculos ponendo, ſicque gradum levitatis & gravitatis, caloris & frigoris, ſiccitatis & humiditatis, docendo, ad curam tuendæ valetudinis, quoad uſum aëris, eximiæ utilitatis eſſe queunt.

17. Ratione qualitatis, ſanitati maxime confert aër temperatus, neque calore, aut frigore, nec ſiccitate, vel humiditate, modum excedens, ſed intra gradum mediocritatis ſubſiſtens. Quo ſcopo convenit, pro anni tempore, & conſtitutione cœli, & veſtimenta corporis, & lecti ſtragula, & cubiculi calorem, apte & appoſite dirigere: ſub exitum autumni, mature brumales veſtes induere, nec appetente Vere nimis cito deponere: hyeme cubicula moderate calida magis proſunt, quam æſtuantia, ex quibus in aërem frigidum tranſitus, ob mutationem repentinam, valetudini minus eſt ſecurus. Æſtate in lectis plumeis dormire, & incaleſcere, vel etiam inſudare, naturæ minus eſt conſentaneum, quia ſic nimia perſpiratione corpus hebetatur, & ex tali calore in liberum aërem translatum, facilius noxam capit.

18. Multum intereſt ad ſanitatem, Monaſteria loco ſalubri, magis edito, quam depreſſo, aperto, quam umbroſo, lucido, quam obſcuro, ſicco quam uliginoſo, ſita eſſe, ubi ſcil. melioris indolis aura

ſpirat.

ſpirat. Vernali tempore, ædium facies orientem ſpectans, æſtivo borealis, autumno ac hyeme, meridionalis aliquid prærogativæ habet. In contignatione ædium ſuperiore vulgo purior athmoſphæra, quam in inferiore occurrit: in conclavi altiori, & lucido, quam humili & obſcuro, ſicco quam humido. Ubicumque autem aliquis degit, ad ſalubritatem pertinet, quotidie janua, vel feneſtra quadam aperta, aliquamdiu aërem ventilare, quo ſic internus effluviis plus minus gravidus, cum externo aëre puriore permutetur; quod hyberno quoque tempore, ſed tum quidem parcius, facere juvabit.

19. Nec utilitate caret, ſubinde aërem conclavium, igne juniperi accenſo, aut fumo baccarum ejuſdem, aut ſaccharo, maſtiche, oljbano, myrrha, ſtorace, benzoino, ſuccino, vel candelis, trochiſcis, paſtillis, pulvere fumali prunis injecto, emendare, quod non modo fragrantiam ipſi conciliare, ſed etiam vitium, ſi quod habet, corrigere poteſt. At noctu vitare oportet candelas ſebaceas craſſiores, vel lampades oleoſas, ſpiſſiore funiculo ardentes, quæ fumum denſiorem exhalando, valetudini officere, cumprimis autem organa vocis, loquelæ, & cantûs, ipſosque pulmones teneros infeſtare ſolent, niſi per caminum ventilationi commodum, & feneſtras perforatas, expeditus fumo exitus procuretur. Ut taceam carbones accenſos, ſulphuris craſſi copiam exhalantes, qui forte brumali frigore urgente, nonnumquam in cubiculis clauſis adhibentur, quorum halitus, niſi per quandam viam patulam exitum inveniat, hominibus præſentaneum ſuffo-

ſuffocationis, aut ſoporis aliquando lethalis periculum creare valet, ſicut triſtia multorum exempla teſtantur.

20. Non contemnenda eſt regula diætetica, de perflatu aëris vitando. Siquidem apertis foribus, & feneſtris in conclavi, vel in oſtio, aut veſtibulo ædium, vel in porticu, ſeu anguſtia quadam, perflanti auræ ſe exponere, pro valetudine minus tutum eſt: præſertim corpore, a motu, ab itinere, labore, exercitio, vel a lecto, a balneo, æſtuante, tunc enim pori totius habitus patentiores, nimis ſubito conſtricti, ac tranſpiratio uberior, ab intempeſtivo aëris appulſu repreſſa, protinus febri, catarrho, coryzæ, brancho, tuſſi, cephalalgiæ, rheumatiſmo, aliisque malis aliquando gravioribus, originem & cauſam præbere ſolet.

21. Ventorum, ut maxima eſt in aëre movendo, mutando, purgando, alterando poteſtas, ſic illi pro varia ſua conditione, in mortalium valetudinem, inſigni efficacia pollent. In genere ſalubritati athmoſphæræ magis conducunt, quam nocent, ſi nempe malignæ qualitatis expertes, moderato flumine ruunt. Aliàs autem, impetu enormi, vel intemperie magna, exhalationum, aut vaporum virulentia, interdum ſingulari miasmate epidemico, vel contagioſo, incolas telluris infeſtare ſolent. In quo caſu præſtat domi ſe continere, & clauſis oſtiis auræ inimicæ ingreſſum arcere; aut ſi prodeundi neceſſitas incumbat, potius ſecundo, quam adverſo vento iter facere, idque nonniſi vehiculo clauſo, vel

ſaltem

ſaltem corpore probe veſtito, & præſertim capite, collo, facie, pectore, pedibus, diligenter contra aëris injurias munitis.

22. Ceterum operæ pretium erit, in ſingulis Monaſteriis; quinam venti ſint magis frequentes, & familiares, aut magis inſueti, & alieni? & quænam illorum ſit in valetudinem incolarum, ſalubris, vel inſalubris potentia? ſtrenuo ac ſolerti obſervationis ſtudio indagare; indeque experientia fideli duce, regulas ad ſalutem idoneas, & naturæ maxime conſentaneas amplecti. „ Ubi æqualitas eſt cœli, ſalu-„ berrimos eſſe dies ſerenos: meliores pluvios, quam „ tantum nebuloſos, nubilosve: optimosque hyeme, „ qui omni vento vacant: æſtate, quibus Favonii „ perflant. Si genus aliud ventorum eſt, ſalubrio-„ res Septentrionales, quam Subſolanos, vel Auſtros „ eſſe: Sic tamen hæc, ut interdum regionum ſorte „ mutentur, CELSUS auctor eſt (b).

CIBUS & POTUS.

„ Sumite quæ ſimilem fibris apponere poſſint
„ Materiem, quorumque ferat conſortia ſanguis.
„ Ne, ſi quæ poterunt placidos ſubvertere motus
„ Sanguinis, aut poterunt vitales fundere ſuccos,
„ Aut ſi quæ poterunt minimos farcire meatus,
„ Gutture deſcendant: procul abſint pabula, ſi quæ
„ Tam primas vitiare vias, quam viſcera, poſſunt.

HEBENSTREIT, *Carmin.*
P. III. C. 4.

Velle

(b) *de Medic. L. II. C. I.*

Velle ſuum cuique eſt, ſua ſunt faſtidia cuique.
Diſſimiles vultu, corpore, mente ſumus.
Diſſimiles ſtomacho: quod amat tuus, illius horret,
Sic Satyras, alter carmina blanda probat. *

23. Secundum naturæ leges, motus vitalis effectu, perpetua fit partium corporis ſolidarum attritio, & fluidarum diſſlatio, unde brevi temporis ſpatio, ſequeretur inevitabilis vitæ interitus, niſi ſumpto per vices alimento idoneo, ſubſtantiæ jactura identidem reſarciretur, ac tantum & tale indies reponeretur, quantum & quale jugi diſpendio diſſipatur. Idcircò ſapientiſſimo Almi Creatoris inſtituto, animantia in univerſum, admirabili inſtinctu gaudent, aptum ſui conſervandi pabulum, tempeſtive quærendi, & avide arripiendi; eodemque ſenſu monitore, famis & ſitis ſcilicet, ipſe homo ad curandum, & paſcendum corpus ſuum vivide impellitur, ac impetrato alimento congruo, mirifica voluptate perfunditur.

24. Idemque naturæ ſenſus, ac ſtimulus, ſtabilita lege docet, quo tempore veſci, & quanto, & quali cibo potúve uti conveniat, niſi forte ex perverſa educatione, aut prava conſuetudine, homo a ſalutari tenore deflectat. Videlicet numquam cibus eſt magis opportunus, aut neceſſarius, quam ubi perceptio inanitionis, ac naturale deſiderium urget.

At

* G. NIC. HEERKENS, *Medici Groning.* de OFFICIO MEDICI POEMA ded. Eminentiſſ. S. R. E. CARDINALI ANG. MARIÆ QUIRINO. &c. Groningæ 1752. 8. pag. 20.

At citra ſtimulum famis, & appetentiæ, cibum capere, utique a legibus naturæ recedit, indeque magis nauſea & faſtidium, pro jucunda & ſalutari refectione, naſcitur. Poteſt tamen natura certo tempori adſueſcere, & ſua cibationis ſtadia obſervare, ſi a puero talis ratio ineatur.

25. An ſemel, aut bis quotidie cibum ſumere præſtet? jam vetuſtis temporibus in quæſtionem veniebat. Quocirca quidem conſuetudinis præcipua poteſtas eſt. Verum tamen potior ratio, & naturæ magis conſona videtur, plus una vice ſingulis diebus paſci, cum ipſe ſenſus ita dictare, & ſtomachus vulgo citius, quam intra 24. horas, ingeſtorum concoctionem abſolvere ſoleat. Unde etiam CELSUS ſuadet: „ Bis die potius, quam ſemel cibum ca-
„ pere, & ſemper quam plurimum, dummodo
„ hunc concoquat. " (c) Cæterum conditio ætatis, temperiei, virium, vitæ generis, climatis, anni temporis, & conſuetudo diſcrimen faciunt.

„ Nam famem facilius fert adoleſcens, quam puer,
„ facilius in denſo cœlo, quam in tenui, facilius
„ hyeme, quam æſtate, facilius inexercitatus, quam
„ exercitatus homo, uti cum HIPPOCRATE CELSUS animadvertit. (d)

26. Copia cibi ac potus aſſumendi, ex ipſo naturæ ſenſu optime diſcitur, niſi quæ corruptio intercedat. Ille ſuadet, paſci ad moderatam ſatietatem, ac intra modicam refectionem acquieſcere; nec ultra

(c) *De Med. L. 1. C. 1.* (d) *L. I. in præfat.*

se onerare. Siquidem ea quantitas præcipue salubris est, cui ferendæ, & concoquendæ, vires stomachi oppido sunt pares. Ex CELSI sententia: „ Ubi ad cibum ventum est, numquam utilis est „ nimia satietas; sæpe inutilis nimia abstinentia (e). Ex magni BOERHAVII placito: „ Ea copia cuique „ optima, quam refectionis, non torporis sensus se„ quitur (f). Sane in temperantia maximum sanitatis tuendæ præsidium versari, omnium locorum & temporum experientia testatur, utpote cujus ope innumeri homines, Deo dante, cum prospera valetudine longævitatem attingunt; dum ex adverso intemperantia gulæ, vires viscerum, totiusque œconomiæ animalis infirmat, ac pessumdat, tandemque ilias malorum, & sæpenumero post miserabilem vitam, præmaturam mortem accersit.

27. Ratio victûs simplicissima, ad quam naturalis instinctus maxime fertur, omnium saluberrima haberi meretur, uti victus ex lacte solo, aut ex pane & aqua, aut ex oleribus, leguminibus, fructibus, cum pane & aqua: aut alius similis intra pauciora eduliorum genera subsistens, qualis olim Patriarchis erat familiaris, ac hodienum alpicolis quibusdam usu venit, qui cum eximio virium robore, salvi & incolumes Nestoream ætatem vivunt. Insignis BOERHAAVIUS pro saluberrimo cibo habet: „ qui sano „ corpori nostro simillimus, facile assimilandus, sim„ plicissimus, parum fæculentus, nulla acrimonia „ stimulante, nec mobilitate nimia præditus est; idem-

(e) *L. I. C. 2.* (f) *Instit. med.* §. 814.

„ idemque cibos minime pingues, & potum aquæ,
„ corpora hominum robuſtiſſima efficere, aſſeve-
„ rat (g).

28. Tam multiplex ciborum varietas, ut vulgo hominibus urbanis, aulicis, aliisque more plus minus corrupto viventibus, uſu venire ſolet, naturæ minus eſt conſentanea, nec valetudini amica. Quinimo ingenioſa culinaris ſolertia, cibos parandi, miſcendi, condiendi, & cupedias in infinitum exaggerandi, quantumvis palato blandiatur in luxuriam propenſo, certe tamen opinionem & expectationem fallit, atque in ſanitatis detrimentum vergit. Eos enim, qui aſſiduis epularum lautitiis gaudent, longe minus firma valetudine frui, nec adeo longævos reddi, quam cæteros ſimpliciore victu contentos, abunde experientia fidem facit.

29. Ratione qualitatis, ex CELSI præcepto juvat, nullum cibi genus refugere, quo populus utatur (h), adeoque libere amplecti, quæ ratio loci, uſus, & experientia fidelis commendat. In genere alimenta indigena exoticis, ad ſalutem incolarum intercellere ſolent. Ex regno vegetabili fruges, olera, legumina, fructus, quos patrium ſolum ſtrenua manu cultum, Deo benedicente, liberaliter fundit. Ex Regno animali, quadrupedes antiquo uſu familiares, vituli, boves, agni, oves, capellæ, porci &c. Ex alitibus, gallinæ cohortales, columbæ, anates, anſeres, perdices, coturnices, ruſticulæ, alaudæ, turdi, frin-

 gillæ,

(g) *Inſtit. Med.* §. 809. 818. (h) *De Medic. L. I. C. I.*

gillæ, & quæ plura ſunt avium apud nos genera uſitata. Ex piſcibus, carpiones, truttæ, aſciæ, lucii, thymalli, barbi, percæ, ſalmones, ſalmunculi, funduli, gobii, naſones, &c. Ex cruſtaceis, cancri fluviatiles. Ex teſtaceis, cochleæ domiportæ. Ex amphibiis ranæ. Quæ omnia in culinis rite parata, ſatis commodum, nec inſalubrem cibum præbent, alia tamen valentiorem uberioris nutrimenti, ut carnes, alia infirmiorem, ut aquatilia pleraque. Piſces exotici, præſertim majores, ac duriores, ut aſelli, merlangi, tempore Quadrageſimæ præſertim uſuales, partim ob ſalinum acumen, partim ob tenacitatem majorem, parcius aſſumendi, ne ſtomachum gravando, & gluten morboſum gignendo, valetudinem offendant.

30. CONDIMENTA ciborum non tam alendi corporis ſcopo, quam acuendi ſaporis, odorisve, ſeu gratiæ conciliandæ cauſa, vel etiam digeſtionis adjuvandæ ergo, in uſum ducuntur: ut ſunt varia condimenta ſalina, acida, acria, aromatica, dulcia, hoc nomine in culinas recepta: ex quibus principem locum tenet ſal culinare, ſua efficacia, & præſtantia, præ omnibus maxime neceſſarium, cibos in genere & ſapidiores, & ſalubriores reddens, corruptioni & putredini valde reſiſtens. Ex acido genere, acetum vini, ſuccus citri, limonum, aurantiorum: ex acribus, ſinapi, raphanus ruſticanus: ex aromatibus exoticis zingiber, piper, cinamomum, nux moſchata, macis, caryophylli, crocus; ex indigenis ſemen carvi, baccæ juniperi: ex dulcibus ſaccharum & mel, uſitatiſſima ſunt. Omnia quidem eximiæ utilitatis,

litatis, ſi parcius cum debito moderamine adhibeantur, ſed ſtomacho & viſceribus nociva, & humoribus infeſta, morbisque acutis, vel chronicis generandis apta, ſi liberalius in gratiam palati luxuriantis ingerantur.

31. Ex apparatu cibario, farrago quidem habetur talium ſimplicium, quæ cruda commode in uſum veniunt, ut ex Regno vegetabili radices nonnullæ, & fructus horæi omnivarii, poma, pyra, ceraſa, uvæ, pruna, perſica, corna, &c. ex animali, lac, mel, &c. Verumtamen & eadem ipſa, tum alia atque alia, præparatione quadam idonea opus habent, non modo ut palato gratiora, & ſapidiora, ſed etiam ut concoctioni, & nutritioni aptiora, adeoque naturæ humanæ ſalubriora fiant. Vegetabilia ſiccatione, infuſione, maceratione, coctione: animalia & piſces, elixatione, aſſatione, frixatione, præcipue parari ſolent, in qua re varia in culinis artificia locum habent, integris voluminibus fuſe & prolixe ab authoribus tradita. Quamobrem in Monaſteriis in gratiam valetudinis conſervandæ, magnopere intereſt, coquos habere artis ſuæ peritos, & fideles, qui cum dexteritate culinæ præeſſe queant, & quibus per omnia mundities, & quorumvis ciborum ſalubritas curæ ſit, ne quando ipſorum culpa Religioſorum valetudo damnum patiatur.

32. Ut fames cibi, ita SITIS deſiderium potionis movet, quæ eſculentis ſolidis diluendis, ori, linguæ, faucibus, gulæ, ſtomacho, totique corpori humectando, & fluiditati ac meabilitati humoribus concilliandæ,

liandæ, ex almæ Naturæ inſtituto debetur. Potionis autem in diverſis regionibus varia genera, uſu veniunt, aqua, vinum, cerevifia, hydromel, lac, ſerum lactis, &c. quo etiam varia infuſa, decocta, julapia, emulſiones, referri merentur. Præterea quoque luxus mortalium, præter neceſſitatem exotica concupiſcens, infuſum foliorum Theæ orientalis, decoctum granorum Coffeæ, Succoladæ Indorum, quæ in principio tantum medicamenti loco veniebant, in uſum vulgarem admiſit. In orientali India Palmæ arboris ſpecies quædam, in ſummitate ſua laticem potabilem fundit, qui ſua copia multitudini hominum potandæ ſufficere poteſt, magno divinæ providentiæ beneficio.

33. Potio omnium princeps eſt Aqua, præſertim fontana, pura, frigida, limpida, levis, inſipida, qualem homo ex inſtinctu naturali, præ aliis omnibus maxime concupiſcit. Hæc palatum & ſtomachum mirifice refocillat, cor exhilarat, digeſtionem juvat, chylum & ſanguinem diluit, circulationem humorum, ſecretionem & excretionem promovet, nutritionem ſecundat, acrimoniam lenit, viſcoſitatem reſolvit, ſanitatem fovet, imo corpus robuſtum & longævum reddit, ſi ad normam naturæ uſu veniat. Divino tali vitæ & valetudinis præſidio, alma noſtra Helvetia paſſim abundat. Nec inclyto huic Monaſterio deeſt viva ſcaturigo aquæ ſalientis, optimæ, quæ ex vicino colle, ad montis Blauen radicem, per quam commode ad ipſius ædes derivata, & in horto, & in culina, & ad epulas præſto eſt, & cum optata ſalubritate in uſum cedit. Tantum vero,

vero munus in aliis bene multis terrarum locis desideratur, ubi aquæ fontanæ putealis, pluviatilis, fluviatilis, vel etiam nivalis, glacialis, ex necessitate substituitur.

34. Modum seu mensuram potionis, vitæ ac sanitati conducibilem, ipse instinctus naturæ, & spontaneum bibendi desiderium dictat, nisi ex prava consuetudine a salutari lege desciscat. Corpori videlicet rigando, ea sufficit humoris copia, quæ ciborum dilutioni, & concoctioni, chyli & sanguinis meabilitati, omniumque liquorum libero fluxui per vasa, ex æquo respondet, & quantum fluidi motu vitali quotidie difflatur, tantundem de novo reponit. Quare ultra necessitatem potu se ingurgitare, a legibus naturæ alienum, & valetudini minus proficuum esse solet.

35. Num frigidæ, vel calidæ potionis, salubrior effectus sit? quæritur. Neutrum simpliciter & absolute præferri meretur; sed distinctionem ratio cum experientia suadet. In statu secundæ valetudinis, potio moderate frigida, ut sitienti palato haud paullo jucundior, sic nervis roborandis, & spiritibus recreandis, aptior atque salubrior esse videtur: cum exceptione tamen necessaria, si corpus motu, labore, exercitio, itinere, sole, balneo, incalescat, vel insudet, in quo casu haustus frigidæ valetudini periculum, aliquando & perniciem creare solet. Ideoque tunc temporis a potu abstinere oportet, donec æstus satis mitescat, vel nonnisi tepida, calidave potione sitim sedare.

36. Poſt aquam apud nos uſitatiſſima eſt VINI potio, quod ex uvarum maturarum ſucco preſſo, fermentationis ope, mira naturæ metamorphoſi generatur, magnum Divinæ benignitatis munus, inde a tempore diluvii uſu receptum, gratia & ſuavitate coloris, odoris, ſaporis, tum & virtutis excellentia, ac ſalubritate incomparabile: vitæ pabulum amicum, palati delicium, ſtomachi cordisque lætamentum, animi ſolamen, ſomni vehiculum, languoris remedium, ſpirituum animalium excitamentum, facundiæ flumen, naturæ balſamum, puta ſi bonæ notæ fuerit, ac tempeſtive cum debito moderamine bibatur. Nam quantum modico & legitimo uſu, vitæ ac ſanitati hominum prodeſt, tantumdem abuſu & luxuria, cum animo, tum corpori nocere ſolet, ut exempla paſſim obvia fidem faciunt.

37. Vini autem pæne infinita eſt varietas, pro ratione vitis viniferæ, regionis, loci, ſoli, culturæ, ætatis, &c. ex hiſtoria naturali, ipſoque uſu & experientia uberius cognoſcenda. Qualitas vini laudabilis, colore, nitore, ſapore, odore, levitate, imprimis autem virium efficacia & effectus ſalubritate æſtimatur. In noſtro climate paſſim vina temperatæ qualitatis, at in regionibus calidioribus multo generoſiora naſcuntur. Quorum illa per ſe meraca, aut ſaltem parcius lymphata, hæc autem nonniſi elemento aquoſo magis diluta, in potum familiarem adhibentur: aut vice tantum ſtomachici & cardiaci medicamenti, in uſum trahuntur.

38. Vina novella, ſpiſſa, acerba multum adhuc

fecu-

fæculentiæ alunt, ideoque in ſubjectis minus robuſtis, facile ſtomachum offendunt. Quæ vero plurium ſunt annorum, tenuia, limpida, magisque defecata, naturæ magis amica, & valetudini haud paulo ſalubriora eſſe conſueverunt. Quamobrem ſanitatis Religioſorum valde intereſt, Vini delectum habere, atque ex loco idoneo, vinum bonæ notæ in ſuos uſus comparare, idemque in cella probe curatum, & defecatum, nonniſi trimum, quadrimum, aut vetuſtius adhuc in menſam adhibere. Doliarium peritum ac fidelem, oportet diligenter officio fungi, cellam ex omni parte mundam, ipſaque dolia ſincera, curæ habere, vinaque ſecundum artem optime curare: ab omni mangonio, vel miſcela nociva, præſertim a Lithargyrio tanquam veneno pernicioſo manus abſtinere, unde quondam in nonnullis Monaſteriis, plures in Colicam ſaturninam, ex eaque in miſeram vitæ calamitatem, imo mortem denique præmaturam inciderunt. *

39. Qui a puero citra vini uſum, aquæ tantum potioni adſueverunt, hi ſalva & incolumi ſanitate, imo cum virium robore, ſuum ævum conſumere, interdum quoque proſperam longævitatem attingere ſolent, tantum abeſt, ut neceſſe habeant, hydropoſiam cum oinopoſia permutandi. Qui vero a teneris vini conſuetudinem contraxerunt, his in prandio & cœna moderata ejus portio convenit, unà cum aquæ auctario, ſicubi palatum ſiticuloſius majorem humidi co-

 piam

* Colica antehac in his ædibus familiaris, luculenta extat hiſtoria in Actis Helveticis phyſico-med. Vol. V. p. 249. 4. Baſil. 1762.

piam requirat. In epularum intervallis, a cibo & potu feriari præſtat, ne ſcil. ſtomachi concoctio interpelletur, quæ longiori ſpatio commodius abſolvitur. Aut ſi qua data cauſa exceptio intercedat, hanc minus frequentem eſſe juvabit.

40. CEREVISIÆ nomine venit liquor nutritius, ex ſemine cereali Hordei, vel Tritici, macerato, germinante, dein cum aqua cocto, & fermentationi commiſſo, paratus, palato haud ingratus, corpori humectando, ſiti leniendæ, viribus reficiendis, & alendæ ſubſtantiæ idoneus, nec inſalubris, ſi bonæ notæ fuerit, ac tempeſtivo uſu veniat; in multis regionibus, ubi vinum & aqua fontana deficit, uſitatiſſimus. A fermentatione ſpirituoſam facultatem concipit, ac vini inſtar caput inebriat, ſi liberalius hauriatur. Quoad coloris, ſaporis, tenuitatis gratiam, itemque vires & effectus, pro ratione hordei, aquæ, aëris, loci, præparationis, nec non ætatis, multum diſcriminis habet. Adjecto Lupuli condimento, ſapidior ac durabilior redditur. Valde recens, a craſſitie, viſcoſitate & feculentia, ſtomachum gravat, flatus gignit, tormina inteſtinorum creat, ſæpe etiam ſtranguriam movet: longius ſervata, ac melius depurata, tanto levior, ac fluidior, naturæ magis amica, & veletudini magis proficua eſſe ſolet.

41. Liquores ardentes, ut Spiritus vini, ceraſorum, frumenti, &c. ſimplices & compoſiti, vel etiam ſaccharo dulcorati & aromatiſati, ut elixiria varia, palato blandientia, nares odore ſubtili, lin-

guam

guam ſapore fervido afficiunt, nervos potenter ſtimulant, animum erigunt, caput feriunt, ſanguinem movent, vires ad tempus concitant, ideoque inter cardiaca calida numerantur, quæ in ſpirituum penuria, & virium languore frigido, efficaciam præſtant; ſed uſu quotidiano, aut frequenti, nedum abuſu largo, corpus incendunt, nervos, ſtomachum, & viſcera in receſſu infirmant, humores inſpiſſant, coagulant, appetentiam cibi dejiciunt, concoctionem depravant, denique morbis acutis, vel chronicis fores aperiunt, ac ſerius ocyus motum vitalem peſſumdant.

42. INFUSUM foliorum THEÆ orientalis, potus eſt apud Indos maxime familiaris, inter delicias quotidianas, & prope inſtar Panaceæ uſitatus; quem Europæi, exoticorum percupidi, jam pridem in ſuos quoque uſus trahunt, utinam minus in abuſu luxuriantes. Hic potus calide hauſtus, a parte aquæ vires habet humectandi, diluendi, leniendi, laxandi, lubricandi, attenuandi, ſitim ſedandi, perſpirationem augendi, urinam movendi: a parte foliorum, vim ſubtilem ſubaromaticam, ſubadſtringentem, colorem ſubviridem, ſubflavum, odorem blandum, & ſaporem jucundum ſui generis aromaticum: a Saccharo, gratia dulcedinis, & facultas lenis mucilaginoſa, abſtergens accedit. Moderato ac tempeſtivo uſu, haud inſalubris eſt potus, & in vario morborum caſu præſtans medicamentum, in catarrhis, gravedine, coryza, raucedine, tuſſi, cephalalgia, nephritide, arthritide, podagra, &c. ſed abuſu quotidiano, ſtomachum & viſcera nimis relaxat,

laxat, nervosum genus hebetat, humores justo plus diluit, vires extenuat, valetudinem infirmat.

43. Alius potus exoticus est, qui ex baccis Coffeæ paratur, arboris indigenæ felicis Arabiæ, nunc etiam in regno Japoniæ, & in variis Americæ insulis cultæ, quæ baccæ oleo subtili & fragranti divites, tostæ & in pulverem comminutæ, dein cum aqua coctæ, liquorem exhibent fuscum, odoris suaveolentis, & saporis jucundi, qui saccharo dulcoratus, adeo fascinavit mortalium animos, ut ejus usu voluptario capti, vix amplius sine tam delitioso nectare, vivere queant, licet nec instinctus naturæ, nec ulla necessitas, talem potum requirat, sed mera curiositas, & palati libido, multijugæ calamitatis mater. Sano homini, & bene valenti, longe satius foret, ab ista sorbillatione Coffeæ, magis medicamentosa, quam alimentari, prorsus abstinere, quam supervacuæ voluptati se mancipare. Qui vero ejus usui jam adsuevit, prudenti moderamine opus habet, ni valetudinis detrimentum sibi contrahere velit. A prandio inter sanitatem potu Coffeæ se ingurgitare, magis nocet, quam prodest, nisi longa consuetudo intercedat. Post cœnam Coffea somnum arcet: abusu multo systema nervosum hebetat, viscerum actionem enervat, vires labefactat, membrorum tremorem, corporis maciem, cachexiam, &c. post se trahit. Temperies frigida, mucosa, iners, hoc genus potionis facilius fert, quam calida, sanguinea, cholerica. In vario ægritudinis casu, ut spirituum torpore, capitis somnolentia, virium languore, animi mœrore, &c. medicamenti

dicamenti loco esse potest: adjecto lacte, alendo etiam corpori conferre solet.

44. Cum perversi mores sæculi, juxta necessaria vitæ præsidia, NICOTIANÆ usum quoque familiarem reddiderint, vix illum inter præcepta diætetica silentio præterire fas est. Ecquis, obsecro, malus genius incolas telluris adeo fascinavit, ut folia stirpis Americanæ virulentæ, siccata, & comminuta, fistulæ immissa accenderent, eorumque fumum ore haurirent, imo deliciarum loco haberent, præsertim experimento apud novitios & insuetos, tam gravi ac difficili, ut prima tentamina capiti, stomacho, pectori, imo toti systemati nervoso, ac viscerali, cumulatas turbas, anxietates prope intolerabiles, vertiginem, cephalalgiam, nauseam, vomitum, diarrhœam, lipothymiam, &c. concitare soleant. Sane qui natura duce, valetudini suæ consulere cupit, omnino ejus fumi usum & consuetudinem vitabit, aut saltem parcius adhibebit, ne scil. fontes salivales intempestive siccando, concoctionis vires infirmet, sibique damnum accersat. Quid autem fumigatio ista valeat, in vario morborum casu, & quo pacto in auxilium trahi queat? ex Medicina practica discendum venit.

45. Perinde optandum esset, pulverem errhinum ex foliis NICOTIANÆ paratum, nunquam orbi terrarum innotuisse, aut semel inventum nonnisi medicaminis loco, ad nonnullos affectus morbosos, aut saltem in secunda valetudine, longe parcius usu venire. Siquidem ejus abusu & luxuria, nares sic-

cantur,

cantur, nervi olfactorii ſtupefiunt, ſternutamenta intempeſtiva moventur, quin etiam delapſu ejus in fauces, uvulæ, tonſillis, epiglottidi, gulæ, tracheæ, moleſtia creatur, unde multis aſperitas earum partium, raucedo, tuſſicula, dyſpnœa, aliquando & nauſea, ac vomituritio conſequitur. Ut taceam, homines prava ejus conſuetudine, quaſi mancipia narium fieri, vix unquam deinceps liberandi.

SOMNUS & VIGILIA.

„ Sicubi membra quies heſterno fracta labore
„ Reſtituit, ſubito teneris te ſurripe plumis.
„ Tantum de vita, quantum dormitur, abibit.
„ Nam gelidæ nihil eſt ſomnus niſi mortis imago.

„ Ordo placet Muſis, & amant alterna Camœnæ.
„ Somnus amat vacuas a ſolicitudine mentes,
„ Si delectari ſomno, viresque lucrari
„ Inde cupis, ſera meditari deſine nocte.

HEBENSTREIT, *Carm. P. III. C.7.*

46. Secundum naturæ leges, homo totius vitæ curſu, vigiliæ ſomnique vices reciprocare ſolet, ac nemo omnium alterno illorum præſidio carere poteſt. Inter vigilandum ſenſus omnium organorum, cum facultate motoria muſculorum, & membrorum, in perpetua activitate verſatur. Unde cerebrum, cum toto ſyſtemate nervoſo, & muſculoſo, & viſcerali, neceſſario effectu ſenſim hebetatur, ſicque vires vitales, & animales, pro ratione diſpendii ſpirituum, exte-

extenuantur, nonnisi beneficio & efficacia somni mirifica, reparandæ. Proinde in gratiam tuendæ sanitatis, necesse est, in vigilando modum servare, nec ultra vigiles curas extendere, quam naturæ vires ferendo sint pares. Quocirca Litterati, diu noctuque nimium quantum studiis & animi contentione se macerantes, eheu! suum corpus imbecillum, & præsertim calamitoso malo obnoxium reddunt, quod *hypochondriacum* appellatur, crux & opprobrium medicorum.

47. Somni necessitatem nemo non agnoscit, ejusque suavitatem & efficaciam quotidie mortales experiuntur. Unde poëta inter res omnium dulcissimas somnum extollit:

„ Tale tuum carmen nobis, divine poëta,
„ Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum,
„ Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.

VIRG. *Ecl.* *V.* 45.

Scilicet somno tempestivo animus recreatur, spiritus reficiuntur, vires renovantur, organorum vigor, omnesque actiones instaurantur, sicque totus homo veluti ab imagine mortis reviviscit.

48 Tempus opportunum dormiendi natura ostendit, quando scil. organa vitalia, & animalia, per vigiliam, motum & laborem fatigata languescunt, suaque sponte in soporem propensa dormituriunt: noctu præsertim, nisi aliud climatis, vitæ generis, consuetudinis, aut necessitatis ratio postulaverit. A

prandio

prandio vigilare, quam dormire, ſalubrius eſt, niſi ætas, conſuetudo, aut valetudinis conditio, vel aliæ circumſtantiæ peculiares, exceptionem faciant, quæ ſalvis legibus ſanitatis aliquando locum habere poteſt.

49. Modum quoque ſeu menſuram ſomni genuinus naturæ ſenſus apprime docet, niſi deſidiæ culpa intercedat. Quippe tam diu dormire ſatis eſt, donec jactura ſpirituum reparata, homo ſponte evigilando, priſtinum animi, corporisque robur, cerebri, nervorum, & muſculorum vigorem, agendique promptitudinem & alacritatem recuperaverit. Homini ſano & adulto, plerumque ſex ad octo horas intra nyctemeron ſufficiunt: ſenes paucioribus acquieſcunt: pueri longiore ſomno indigent: adhuc magis infantes nativitati propiores. Regula ſanitatis eſt, vitare ignaviam, & ſomnum immodicum, ceu qui animi hebetudinem, ſenſuum ſtuporem, ſolidorum laxitatem, fluidorum lentorem, coctionis, circulationis, ſecretionis, & excretionis inertiam, adeoque cruditates, ſtagnationes, obſtructiones, & hinc ilias malorum creare poteſt.

MOTUS & QUIES.

„ Quod caret alterna requie, durabile non eſt,
„ Hæc reparat vires, feſſaque membra levat.

Ovid. *Heroid. Epiſt.* 11. 89.

„ Motibus alternis alternam junge quietem,
„ Inque vicem vigila, vel ſomno lumina claude.

„ Ad

„ Ad faciles motus nos excitat ipſa natura.
„ Immotos artus res publica corporis odit,
„ Atque malas infert vecors ignavia noxas.

HEBENSTREIT, *Carmin.*
P. III. C. 7.

50. Ad motum corporis aſſiduum, ſponte natura hominem ferri, exemplo infantum & puerorum abunde innoteſcit, quibus agitatio fere perpetua uſu venit, adeo quidem, ut vix unquam, niſi tempore ſomni, quietem interponant. Porro in frequenti, & quotidiano corporis motu, & exercitio, magnum vitæ & ſanitatis præſidium eſſe poſitum, ipſa rerum magiſtra experientia teſtatur, dum qui mortalium vitam actuoſam, & laborioſam agunt, præ ceteris inerti magis otio, aut ſedentariæ vitæ addictis, robuſtiores corporis vires, & magis firmam ac proſperam valetudinem experiuntur. Ex CELSI placito: „ Ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit. (i).

51. Motu nempe, & exercitatione corporis, ſyſtema nervorum, vaſorum, viſcerum, & muſculorum valide concitatur, fluxus liquidorum per vaſa acceleratur, reſpiratio, concoctio, circulatio invaleſcunt, ſecretiones & excretiones naturales promoventur, totaque œconomia vitalis, & animalis invigoratur. Inde agricolæ, opifices, milites, athletæ, eximio

C corporis

(i) *De Med. L. I. C. I.*

corporis robore, & læta plerumque ſanitate pollent: urbani vero homines, aulici, literati, ſedentarii, magis imbecillo, & valetudinario corpore eſſe ſolent. Aurea eſt ſanitatis regula, quam tradit HIPPOCRATES:

„ Veſci citra ſatietatem, & impigrum eſſe ad laborem.

52. Motiones autem corporis & gradu, & genere, & effectu diſcrepant. Pro remiſſiore, vel intenſiore illarum gradu, etiam effectus ſunt proportionales. Cæterum aliæ totum corpus motu communi exercent, velut geſtatio, vectio, equitatio, navigatio, &c. aliæ motu proprio corpus agitant, ut ambulatio, curſus, natatio, venatio, &c. aliæ vero ſeorſim has illas partes corporis movent, ut clara lectio, recitatio, cantus, oratio, tubarum inflatio, cum prærogativa exercent organa vocis, & loquelæ, unà cum muſculis diaphragmatis, & abdominis, & viſceribus contentis. Sic opificia varia, & exercitationes diverſæ, manus, vel pedes, vel alia corporis membra, plura ſimul, vel pauciora, varia ratione exercendo fatigant. Recitationes & cantus ſacri in Monaſteriis uſu recepti, duplici nomine ſalubritati conferunt, tum altiore ac velociore reſpiratione, pulmones & cor, necnon ſtomachum ac viſcera reliqua imo etiam cerebrum, & nervoſum genus integrum alacriter concitando, tum animo ſpiritualem lætitiam ac voluptatem conciliando.

53. Optabile igitur Religioſis tuendæ ſanitatis præſidium

ſidium fuerit, ſatis frequenti corporis exercitatione defungi, ſuisque ſtudiis in muſeo, & officiis ſacris in templo peragendis, ſæpe quandam animi recreationem interponere, in aperto cœlo, ſi ſerenum & tranquillum fuerit, ſin ſecus, in porticu, vel ipſis ædibus. Quale autem liberalis exercitii genus ſit eligendum, aut præferendum? an luſus globorum miſſilium ex ligno majorum? an minorum ex ebore baculo truſilium in plano menſali? an cylindrorum truncatorum ex ferro projectilium? an diſci jaciendi ad metam? an ſerræ lignis ſecandis aptæ? an opificii cujusdam jucundi? V. V. Superiorum placito definiendum relinquere, fas eſt.

54. En aliquot regulas diæteticas, circa motum & exercitationem corporis obſervandas:

„ I. Exercitatio ſemper antecedere cibum debet.
„ Celsus *de Med. L. I. C.* 2.

„ II. Exercitationis plerumque finis eſſe debet ſu-
„ dor, aut certe laſſitudo, quæ citra fatiga-
„ tionem ſit. *Ibid.*

„ III. Neque ex nimio labore, ſubitum ocium: ne-
„ que ex nimio ocio, ſubitus labor, ſine gra-
„ vi noxa eſt *Ibid.*

„ IV. Si quibus de cauſis futura inedia eſt, omnis
„ labor vitandus. *Ibid.*

„ V. Ad ſanitatem maxime proficuus eſt motus, us-
„ que ad ortum levis ſudoris, vel incipientis
„ laſſitudinis ſenſum, poſt coctionis initia,
„ cum ſenſu levitatis. Boerhaave *Inſtit.*
„ *Med.* §. 819.

VI. A motu & exercitatione, corpore adhuc æstuante, non protinus ad cibum festinare: neque potu frigido se ingurgitare: neque subito corpus nudare: neque perflatui aëris se exponere: & si quis sudore madescat, vel tecto corpore requiescere, vel nonnisi caute frigus vitando, indusium mutare.

55. Sed a motu & labore, secundum certas naturæ leges, inevitabilis virium jactura, vel dispendium sequitur. Ergo alterna quiete opus est, ceu necessario ad vires redintegrandas præsidio. Hujus enim ope, organa sensus, & motus, a tensione jugi fatigata, denuo relaxantur, animus cum corpore quiescit, impetus fluidorum circulantium remittitur, liquidi vitalis, & animalis penuria reparatur, vigor & aptitudo ad pristinos motus & functiones renovatur. Inter motum vero & laborem æqua proportio esse debet, ne alterutrum excessu, vel defectu suo, valetudini damnum pariat.

„ Motibus egregiis requies respondeat æqua.
„ Ut prægressorum contentio magna laborum
„ Exhausit vires, & languida corpora flaccent,
„ Sic quoque grata quies fessos demulceat artus.
„ Intentos nimium nervos quandoque relaxa,
„ Et post insignes operas feriare parumper.

HEBENSTREIT, *Carmin.* *P. III. C.* 7.

„ Corpora mollescunt neglecto flaccida motu,
„ Debilis hinc vitæ virtus, & inertia cordis;

„ Inde

„ Inde liquor ſpiſſus, durique ſocordia ventris,
„ Mentis hebetudo, durum jecur, invius humor;
„ Aſt nimio motus corpus quoque deterit uſu;
„ Fibra riget, vires pereunt, abſumitur humor,
„ Pingue perit, ſanguisque bonus mutatur in acrem.

IDEM *Carm. P. II. C. 3.*

EXCRETIONES.

„ Ut valeas, quos corporibus decedere fas eſt,
„ Non retine, ſed nec vitales disjice ſuccos.

„ Diſcite Mortales naturæ legibus uti,
„ Atque ſalutiferos iſtos cognoſcite motus,
„ Queis, vario fluxu variorum cauſa malorum
„ Abripitur, liquidumque fugit de corpore diſcors.
„ Sponte ſua, ſi quos amittunt organa, ſucci,
„ Ordine procedant naturæ legibus æquo,
„ Conſueti nunquam turbentur in ordine fluxus.

HEBENSTREIT, *Carmin. P. III. C. 6.*

56. Alimenta ingeſta non ex toto in ſubſtantiam corporis noſtri converti poſſunt, igitur quæ ſuperſunt a coctione partes non aſſimilabiles, ad nutriendum ineptæ, ex naturæ inſtituto, tempeſtivam ſui excretionem requirunt, ne ſcil. mole, vel qualitate aliena, vel corruptela ſui, corpori damno ſint. Porro quæ ſola copia redundant, vel motu perenni vitali in putredinem vergunt, absque valetudinis detrimento retineri nequeunt. Quin etiam boni quidam humores, in certos naturæ uſus, ſecerni &

 excerni

excerni debent, quorum retentio nocitura foret. Proinde generalis uſus excretionum eſt, ſupervacui egeſtione, & noxii ſubductione, corpus levare ac depurare, boni autem, & naturæ congrui retentione, vitæ & ſanitatis integritatem conſervare. Ergo ſecretionis & excretionis opus, inſigne eſt conſervationis naturæ inſtrumentum. Ergo magna ſanitatis tuendæ regula, excretiones ita curare, ut ſecundum conſuetas naturæ leges procedant.

57. Quælibet excretio ſingularis, ad ſuos uſus proprios determinatur, omnes autem ad conſervationem totius mirifice conſpirant. In quo numero longe maximi ponderis eſt perſpiratio inſenſibilis, græce ἄδηλος διαπνοὴ, cujus ope ſcilicet, ex toto corporis ambitu, totaque pulmonum area interna, jugiter incredibilis copia halitus, ſeu vaporis, plerumque inviſibilis exhalat, tam ingeſtorum copiæ, & qualitati, quam circulationis vitalis efficaciæ, ex æquo reſpondens, verumtamen pro diverſitate cauſarum adjuvantium, vel impedientium, variata. Cujus excretionis neceſſitatem, ac dignitatem, a poſteriori abunde patefacit ilias malorum, ex ejus turbatione, vel ſufflamine oriundum, & contra valetudinis læta integritas, dum illa, cæteris paribus, ſecundum ſalubres naturæ leges rite procedit; prout celebris Auctor Italus luculentis experimentis ſtaticis palam fecit. Eo auctore, perſpiratio inſenſibilis ſola, ſolet eſſe longe plenior, quam omnes ſenſibiles ſimul ſumptæ. Et, ſi cibus & potus unius diei, ſit ponderis octo librarum, tranſpiratio inſenſibilis aſcendere ſolet ad quinque libras circitet. Hyeme,

uno

uno die naturali, ad 50. uncias, & ultra exhalare poteſt, perſpiratione inviſibili. Impedita perſpiratione, diebus ſeqq. vel ſuccedet uberior perſpiratio, vel aliqua evacuatio ſenſibilis plenior, vel cachexiæ veſtigium, vel febris. (k)

58. Perſpirationi favet animi ſerenitas & hilaritas, aëris calor moderatus, veſtitus idoneus, cubiculum temperatum, motus corporis commodus, potus aquæ, vini, cereviſiæ jucundus, cibi euchymi, & eupepti uſus tempeſtivus, ſomnus & vigilia alterna. Eandem uberius movent foci, cubiculi, lecti calor auctus, motus, labor, exercitatio intenſior, ſorbitiones calidæ, & aquoſa calida omnia: frictiones, lotiones, fomenta calida, pediluvia, balnea, embrocationes, vaporationes ſimiles. Minuunt cauſæ quævis oppoſitæ: Animi triſtitia, mœror, metus, terror, &c. aër frigidus, humidus, umbroſus, nocturnus, pluvioſus, ventoſus, procelloſus: aëris perflatus: nudatio corporis intempeſtiva: potio frigida æſtuante corpore hauſta: lotio frigida intempeſtiva: manuum & pedum refrigeratio inſolita: ambulatio ſuper pavimentum lapideum, terram humectam: cubatio in gramine, loco frigido, humido, &c.

59. En aliquot regulas ſanitatis circa perſpirationem obſervatu ſalubres:

I. Perſpirationem corporis liberam curæ habere, & cauſas illam turbantes, præſertim ſubitaneas, vitare.

 II. Quo

(k) SANCTORIUS SANCTORII *de Statica Medicina Sect. I. Lugd. Bat.* 1703.

II. Quotidiana lotione frigida, vel tepida, manuum & faciei, capitis pectinatione, interdum & pediluvio, cutis ſuperficiem mundare, & meatus perſpirationi apertos ſervare.

III. Corpore ex motu, labore, calore externo, æſtuante, vel ſudante, nudationem illius ſubitam, potionem, lotionem frigidam, aut perflatum aëris, cane pejus & angue vitare.

IV. Suſcepta forte frigoris injuria, foco accenſo, cubiculo, lecto, frictione moderate calida, vel etiam ſorbitione calida, vel infuſo foliorum Theæ, vel modico hydrœni hauſtu, vel etiam pediluvio tepido, perſpirationi ſubvenire.

V. Si forte incidat uberior perſpiratio, vel ſudor; tum factum humidi diſpendium, ſorbitione juris calida, vel infuſi Theæ, vel hydrœni egelida, reſarcire.

VI. Cum Religioſis ex Ordinis inſtituto uſu veniat, circa μεσονύκτιον, & ſub auroram, ſurgere, & in templo ſacris officiis operam navare, valetudinis tuendæ ratio poſtulat, noniſi bene veſtito corpore prodire, præſertim hyberno tempore, aëris inclementia regnante. Tum etiam juvabit fores ædium ſacrarum clauſas ſervare, aërisque gelidi perflatum arcere.

60. Alvina excretione, primæ coctionis recrementa, omnesque ventriculi ac inteſtinorum ſordes, providâ naturæ lege ſua ſponte ſubducuntur, in eoque ſanus homo nulla îndiget ope medicata. Quod ſi vero ex data cauſa, moleſta alvi ſegnities oriatur, ſatis erit, diæteticis præſidiis illam expedire,

ut

ut ſunt potus aquæ tepidæ, ſeri lactis, hydrogalæ, lactis deflorati, ebutyrati, mulſi: cibi aquoſi, mollientes, lubricantes, blande ſtimulantes; Ex oleribus ſpinachia, beta, braſſica, atriplex, turiones lupuli: ex fructibus horæis uvæ maturæ, ficus, ceraſa, pruna, perſica, armeniaca, poma, paſſulæ, &c. Item oleum recens olivarum, amygdalarum dulc. butyrum, mel, &c. Quæ ſi minus ſufficiant, ſuppoſitoria ex butyro, ſapone, melle ſpiſſato, globulis ſaccharatis, oleo lubricis; vel enemata aquoſa, oleoſa, lactea, mellita, &c. juvabunt. Ad interna purgantia medicamenta, nonniſi urgente neceſſitate confugiendum erit. Purgationes vernales & autumnales vulgo uſitatæ, in ſtatu proſperæ valetudinis ſupervacuæ ſunt: niſi ſemel contracta conſuetudo aliter ſuadeat.

61. Secretione lotii in renibus, ejuſdemque per vias urinarias excretione, ſanguis a ſuperante aquoſi elementi copia, nec non a moleculis ſalinis, oleoſis, terreis, ſua quantitate, vel qualitate nocituris, ſalutari naturæ beneficio depuratur, & in debita ſua craſi conſervatur. Cujus proin turbatio, vel interceptio, in damnum vitæ, & valetudinis redundare ſolet. Unde regula ſanitatis jubet, inſtinctui naturæ ſui conſervatricis obſecundare, neque ex verecundia intempeſtiva, aliave cauſa, juſto longius lotium retinere. Cæterum ex fonte diætetico urinam cient potio aquæ fontanæ, frigidæ, ſimplicis, vel mineralis acidulæ, vini albi dilutioris, ſeri lactis, &c. cibi aquoſi, frigidi, ſubacidi: ex oleribus, apium, petroſelinum, chæreſolium: valentiùs, lepidium, na-

ſturtium, cepa, allium, porrum, rapa, raphanus hortenſis, & ruſticanus, &c.

62. Inter haud ignobiles ſuccos corporis ſaliva haberi meretur, quam fontes glanduloſi, ex arterioſo carotidum ſanguine jugiter ſecernunt, ſuisque emiſſariis in cavitatem oris eructant, quæ proin cibo inter maſticandum commiſta, ſubinde etiam per ſe deglutita, liquoris ſolventis efficaciam præſtat, atque in concoctionis ſtomachicæ emolumentum cedit. Mucoſum blandum humorem aliæ glandulæ paſſim in tela membranoſa ſparſæ, unà cum tonſillis fundunt, qui totam ſuperficiem oris interni, linguæ, palati, faucium, epiglottidis, laryngis, tracheæ, gulæ, tegit, lubricat, mollit, defendit, perinde ut membrana narium Schneideriana, ex pari fontis genere, undiquaque in ſimiles uſus, leni muco ſcatet. Unde intelligitur, in ſtatu ſanitatis, ſalivam & mucum oris & narium, niſi redundet, ſalubrius retineri, quam citra neceſſitatem exſcreari, aut emungi. Et, ſi quæ alterutrius abundantia, aut vitioſa qualitas, ſui rejectionem exigat, hanc ita moderari, ne in pravam conſuetudinem degeneret. Dein ſi a ſomno, quædam in ore, & faucibus viſcoſitas naſcatur, eam collutione cum aqua, vel hydrœno, vel oxycrato, vel melicrato, emendare. Item, ſi nares nimium muci colligant, eum modeſte emungere, vel tenaciorem, aqua, lacte tepido eluere.

63. Non-

63. Nonnullis Religioſorum adultæ ætatis, ut aliis paſſim mortalibus, ſanguine forſan cumulato, interdum vaſa hæmorrhoidalia, interna vel externa, turgeſcunt, ac nonnumquam ſua ſponte dehiſcendo, aliquantum cruoris per alvum eructare ſolent. Idque per intervalla temporis, vaga vel periodica, longiora vel breviora, quibusdam menſtruatim per aliquot dies ſucceſſivos, parcius vel uberius, non ſine valetudinis emolumento contingere notum eſt. Plerumque ex internis arteriis, aut venis hæmorrhoidalibus, intra rectum inteſtinum apertis, cruor fertur; rarius vaſa externa tumida ſanguinem ſtillant. Cum niſu hæmorrhoidali vulgo fit aliqua in ventre turbatio, cui ſuccedens eruptio finem facit, elapſo quodam termino, & ſanguine rurſus aggeſto, forte reditura. Interdum aliqua torſio inteſtinorum ac dolor infimæ lumborum regionis, cum alvi fluxu antecedit, quæ *Diarrhœa hæmorrhoidalis* dici meretur. Aliàs quoque loco cruoris, nonniſi materia mucoſa, ſpiſſa, albicans, cum ardore, pruritu, ac teneſmo alvi dejicitur, *Hæmorrhoides albas* vocant. Dyſenteriam vero a Fluxu hæmorrhoidali diſcernit, tormina ventris graviora, teneſmus, ſeu deſidendi cupiditas frequentiſſima, valdeque laborioſa, dejectiones mucoſæ, bilioſæ, cruentæ, purulentæ, magis morboſæ, nec non actiones vitæ magis turbatæ; ad hoc Dyſenteria eſt ſoboles fervidæ æſtatis, vel autumni, vel conſtitutionis ſingularis epidemicæ; Hæmorrhoides autem cujuslibet fere ſunt temporis, nec ſpeciem adeo morboſam præ ſe ferunt. Iſte fluxus hæmorrhoidalis ſi moderatus eſt, pro beneficio naturæ ſui conſervatricis haberi meretur,

quo

quo ſcilicet corpus onere ſupervacuo liberatur, & plethoræ nocumenta alioqui metuenda, arcentur. Ab ejus autem retentione, ſuppreſſione, & perverſa medicatione, gravia valetudinis damna oriuntur, ægre ſanabilia, niſi fluxus hæmorrhoidalis in tempore renovetur, ſc. plethora, cacochymia, colica, pathemata ſpaſmodica, hypochondriaca, melancholica, &c.

64. Adjuvatur fluxus hæmorrhoidum, diætâ ſalubri, animi ſerenitate, potu aquoſo, modice vinoſo, cibis humectantibus, lubricantibus, mollientibus: oleo olivarum, vel amygdalarum recenti: butyro recenti & melle: pediluvio moderate calido, balneo vaporis, ſemicupio: clysmate molliente: motu & exercitatione corporis moderata: miſſione ſanguinis in pede: cucurbitulis cum ſcarificatione ad femora, crura, pedes: hirudinibus ano applicatis: Item uſu tempeſtivo aquarum mineralium interno, & externo: vel ſeri lactis ſimplicis, aut medicati. Turbatur autem, vel reprimitur cauſis contrariis, animi perturbatione, terrore, metu, triſtitia, cura & ſollicitudine multa: vitâ nimis ſedentariâ: victu inſpiſſante: frigore pedibus ſuſcepto: nudatione corporis intempeſtiva: medicatione perverſa, adſtringente.

En regulas aliquot ſalutares:

I. Naturæ ſui conſervatrici optimæ obtemperare: & ſi quando fluxum hæmorrhoidalem moliatur cum euphoria, neutiquam reluctari.

II. Si quæ cauſæ (65) in mora ſunt, eas e medio tollere.

III. Si

III. Si naturæ molimina languescunt, aut fluxus forte retrocedit, eundem lotione alvina molliente, vel balneo vaporis, aliove præsidio (65) promovere.

IV. Si moderate sanguis prodeat, naturam sibi relinquere, nihilque turbare. Sin aliquando modum excedat, tum quiete animi & corporis, abstinentia a vino, victu parciore, temperante, leniente, demulcente, modice inspissante, vel etiam usu Julapii, aut Emulsionis cujusdam refrigerantis, sibi consulere.

65. *Sanguinem mittere* non tam ad secundæ, quam adversæ valetudinis præsidia referri meretur, quia sano corpore nihil superat, nec redundat, adeoque nulla humoris detractione opus est. Potius ex CELSI præcepto: „ cavendum est, ne in secunda „ valetudine adversæ præsidia consumantur (1) ". Verumtamen multis mortalium utcumque sanis usu venit, semel aut bis quotannis, venam secare, sive quod ad prophylaxin diæteticam id prodesse, sive quod aliorum exemplo sibi faciendum arbitrantur. Idemque in Monasteriis passim fere usu receptum est, vere & autumno sanguinis aliquam ventilationem celebrare. De qua proin aliquid hîc monere, non alienum videtur.

66. Quod si secundum almæ Naturæ leges res æstimetur, nullo negotio patebit, præter necessitatem ac temere sanguinem mitti, quoad valetudo corporis

(1) *De Med. L. I. C. I.*

corporis prorſus ſalva & incolumis eſt, ceu in quo ſtatu nihil omnino deficit, nec redundat, nec peccat, adeoque omnis mutatio ſupervacua eſt. Unde conſequitur, eum, qui bene ac proſpere valet, tuto omni venæſectione ſuperſedere poſſe, niſi jam contracta multorum annorum conſuetudo aliter ſuadeat, cui ſcilicet velut alteri naturæ obtemperandum fuerit.

67. Si quis autem inter victum ſatis lautum, vitamque magis ſedentariam, quam motu exercitatam, & perſpirationem forte deficientem, juſto majorem humorum copiam colligat, quæ tandem exceſſu ſuo valetudini detrimentum aliquod portendere videatur, huic utique tempeſtiva ſanguinis detractio ſalutarem effectum promittere poteſt. Copiam vero cruoris mittendi, ratio ætatis, ſtaturæ, plenitudinis, & virium definire debet. Vulgo adultis, & robuſtis uncias octo, decem emittere ſatis eſt. Nimis parca ſubductio ſcopum minus attingit, juſto autem largior vires vitales infringit.

68. Ante phlebotomiam juvat ſorbitione calida nutriente, vel tantillo vini boni hauſtu vires roborare, omnem animi metum deponere, ac blando corporis motu, vel etiam frictione, aut lotione membri moderate calida, ſanguinis curſum accelerare. Detracto autem cruore, citra ſomnum requieſcere, ac elapſo demum horulæ ſpatio ad frugale prandium accedere. Cibi vel potionis copia tum ſtomachum onerare, naturæ legibus non eſt conſentaneum. Verum a ſeveriore ſtudio & cura per unum alterumve diem feriari, & honeſta animi oblectatione

lectatione & recreatione defungi, salutarem auxilii successum oppido secundare valet.

69. Sed vulgò etiam *Catharsis*, seu *alvi purgatio*, semel aut bis per annum usu venit; De qua idem monitum, quod de Venæsectione valet. Si quidem in statu prosperæ valetudinis nihil est vitii, quod vel correctionem, vel subductionem requirat, per definitionem sanitatis, quæ omnium functionum integritatem, cum legitima dispositione solidorum & fluidorum ponit. Ergo citra controversiam, homini sano & bene valenti, nulla opus est purgatione; quin imo quodlibet pharmacum sano ventriculo & visceribus plus minus infestum esse solet. Tunc demum aliquis exceptioni locus erit, si quis jam pridem talem purgationem in usu habuerit; in quo casu per consuetudinem licebit, quod aliàs omittere satius foret. Vulgò receptum est, venæ sectionem purgationi postponere, uno alterove die interposito. Nihil tamen impedit, quo minus vice versa, detracto sanguine postliminio Catharsis subjungatur. Hanc vero nequaquam valido, acri, resinoso pharmaco moliri oportet, sed blando tantum, quod minus œconomiam animalem perturbare queat. Cui proin scopo *Aquæ Sedlic. Bohem.* ℔ j. *cum semuncia salis ejusdem*; vel *haustus laxativus* N°. 29. vel *Pulvis Rhabarbarinus* N°. 25. aut aliis similis abunde satis erit.

70. Inter diætetica præsidia potiori jure referenda videtur *Lotio calida*, seu *Balneum*, cujus apud veteres Romanos, & Græcos, sive tuendæ, sive

etiam

etiam recuperandæ ſanitatis cauſa, prope quotidianus & vulgaris uſus erat; cui porro *Frictionem*, & *Unctionem* interponere ſolebant. Lotione autem calidâ, non modo ſuperficies corporis abluitur, & a ſordibus abſtergetur, verum ſolida quæque madeſcunt, molleſcunt, laxantur, fluida vero diluuntur, tenuantur, ſolvuntur, rareſcunt; pori & vaſcula cutanea, nec non pneumonica, aperiuntur, dilatantur, circulatio ſanguinis acceleratur, motus a centro ad circumferentiam augetur; ipſaque perſpiratio ad ſudorem usque promovetur: quin etiam organa ſenſuum acuuntur, vires muſculares refocillantur, ſomnus juvatur, appetentia ciborum excitatur, nutritio corporis ſecundatur, & incrementum. Uſum proinde tempeſtivum, ac moderatum balnei calentis, tuendæ ſanitatis gratia cum ſalubri effectu adhiberi, experientia popularis etiam noſtræ ætatis, fidem facit. Aliàs variis morbis præſertim a perſpiratione repreſſa oriundis, opem ſæpenumero præſtare ſolet, ſi modo in ratione utendi, & regimine congruo regulæ ſalubritatis diligenter obſerventur.

71. Nec tamen minoris eſt efficaciæ, & ſalubritatis *Lotio frigida*, imo forte ſcopo ſanitatis tuendæ, & corroborandæ, balneo calenti anteferenda; cui etiam in morborum curatione inſignes vires deberi, graviſſimi Authores experimentorum pondere teſtantur. *

Aqua

* Vid. Joh. S. Hahn Unterricht von Kraft und Würkung des friſchen Waſſers in die Leiber der Menſchen, beſonders der Kranken. Breßlau und Leipzig 1749. 12°. Sect. II. Cap. 1. 2. 3. 4. &c. Item Floyeri Psychroluſia. Lond. 1702. 8°.

Aqua frigida corpori applicata, habitum valde constringit, fibras roborat, vascula & emissaria coarctat, nervosum & musculosum Systema mirifice confortat, humores vero condensat, a peripheria ad centrum repellit, non sine magno efficaciæ augmento, si natationis molimina accedant. Sane Lotionem frigidam tempestivam systemati toti vitali, & naturali, & animali, roboratas addere vires, & quantum roboris organis motoriis, tantum & valetudini prosperæ commodum præstare, alma mater experientia fidem facit. Itaque si in propinquo alicujus Monasterii, fluvius, aut rivus, aut lacus, aut piscina major quædam munda præsto sit, in gratiam tuendæ valetudinis, & roborandi corporis, juvabit, per æstatem hebdomadatim, favente cœlo, semel aut bis, ad vesperam trihorio, vel bihorio ante cœnam, frigido balneo ad semihoræ spatium se oblectare, dein corpore absterso & siccato, super lectulum tecto eodem tantundem requiescere, postea vero cœna liberali refocillatum, consueta hora ad quietem & somnum se componere. In defectu aquarum copiæ ad balneum idoneæ, non incongruum fuerit, lotionem frigidam vesperi in cubiculo substituere, videlicet nudatum corpus a capite ad calcem, spongia majore molli, ex aqua fontana, vel pluviatili, vel puteali, l. fluviatili, madida diligenter per horæ quadrantem lavando, dein absterfum & siccatum, aliquantisper quieti super lectum tradendo; quod si balneo immersionis non æquipolleat, viribus tamen ad salutem non carebit.



PARS II.

THERAPEUTICA,

DE

VALETUDINE ADVERSA CURANDA.



INCOLÆ orbis terrarum, præter alias causas, etiam pro vario vitæ genere, aliis atque aliis morbis obnoxii esse solent. Nimirum opifices, agricolæ, milites, nautæ, fossores, chemici, tinctores, litterati, &c. singulares experiuntur affectus, ad suum genus relativos. Sic quoque Religiosi regulares, nonnullas patiuntur ægritudines sibi familiares, quarum potiores aliquas hîc enarrare, earumque originem & causam, indolem ac naturam, notas & præsagia, nec non medendi rationem, breviter exponere lubet.

Hortor, ut arcessas Medicum tibi, corpore sano,
Prandiaque & cœnas dirigat ille tuas.

Dirigat

Dirigat & festis convivia longa diebus,
Atque intemperias & tua vina regat.
HEERKENS, POEM. p. 26.

ANOREXIA.

72. Nonnumquam præter ſolitum, cibi appetentia deficit, vel nunc levius, imminuto ſaltem ejus deſiderio, nunc impenſius, proſtrata magis edendi cupiditate, vel etiam faſtidio, & averſione conjuncta. In quovis morbo graviore, præſertim acuto, febrili, appetitus ciborum protinus elangueſcit, non ſine mira Naturæ providentia, ne ſcilicet alimento ingeſto malum ingraveſcat, ſed potius abſtinentia tempeſtiva pabulum illi ſubtrahatur. Aliàs autem ſtomachi imbecillitas, ſalivæ, & liquoris gaſtrici penuria, vel inertia, vel depravatio; mucus & pituita, vel alia cruditas in ipſo collecta, deſiderium cibi infringere, vel intercipere ſolet; quibus cauſis animi cura & ſolicitudo, ſtudiorum contentio, motus muſcularis deficiens, & vita cubicularis ſedentaria, interdum occaſionem ſufficiunt. *Anorexia* levioris cauſæ, vulgo haud difficulter ſuperatur, & hac ablata mox appetentia cibi, vel ſponte natura, vel exigua medela reviviſcit. Quæ alios morbos inſtar ſymptomatis comitatur, his demum ſanatis, priſtino ciborum appetitui locum cedit. Quæ demum ex pertinaciore cauſa longius durat, diſpendium nutritionis, & hinc corporis extenuationem, viriumque jacturam poſt ſe trahit.

73. Ex contemplatione cauſarum, conſilium &

ratio medendi ineunda venit. Ergo, ſi febris, aliusve morbus, acutus, vel chronicus, faſtidium cibi alat, ad morbum primarium debellandum, omnis medela adhibenda erit, quæ ſi bene ſuccedat, appetitus ex voto redintegrabitur. Si Dyspepſia culpam habeat, huic auxilia quadrabunt §. 76. propoſita. Si ex intemperantia gulæ cruditas contracta, huic medebitur §. 78.

Si actio ſtomachi debilior, ſalivæ & liquoris gaſtrici defectus, vel inertia, appetitui officiant, huic vitio ejusque cauſis conſulendum erit. Quo ſcopo valebit animi relaxatio, & oblectamentum, corporis motus & exercitatio, ruſticatio in loco ſalubri & amœno, victus modicus ex cibis euchylis, & eupeptis, ſtomacho amicis, potus aquæ fontanæ frigidæ, optimæ, ſimplicis; quæ ſola interdum, vino omiſſo, per aliquod tempus hauſta, cibi deſiderium reſuſcitare ſolet. Quin etiam frigida ex fonte ſalubri, mane liberaliter pota, ſed potentius adhuc aquæ ſoteriæ minerales, cum debito moderamine & regimine aliquamdiu in uſum vocatæ, anorexiæ abigendæ, & renovandæ appetentiæ, vel etiam plus ſolito acuendæ, conducere queunt. Ex fonte autem pharmaceutico, huic Anorexiæ generi opitulantur oppidò, medicamenta ſtomachica, amara, roborantia, tonica; velut *Elixir Stomachicum viſcerale Hoffm. Elench. Medicam.* N°. 4. ad duas Drachmas, vel ſemunciam pro doſi, mane ac veſperi ſemihora ante paſtum, cum aquæ font. vehiculo, ad plures dies ſumendum. Vel *Eſſentia Corticum Aurant.* vel *Zedoariæ, Gentianæ, Abſinthii,* mane & veſp. ad guttas XXXX. ſ. plures, cum pari vehiculo. Nec contem-

contemnendus eſt pulvis euporiſtus ex *foliis Cardui bened.* cum quadruplo ſacchari miſtus, & quotidie bis ad drachmam ſemis, vel ultra, cum vehiculo ſumendus. Valentioris efficaciæ habetur *Cortex Peruvianus electiſſimus*, ſi ejus uncia recens pulveriſata, cum *Vini generoſi* libra una infundatur, hujusque turbati, una cum pulveris ſubſtantia, quotidie ſemel, aut bis aliquamdiu ante paſtum, uncia ſemis, vel integra propinetur.

DYSPEPSIA.

Digerit hic melius carnes, olera alter, & alter
  Non olera aut carnes, ſed melimela cupit.
Nec melimela cupit, ſed piſces ille, ſed illos.
  O gula quis mores quis tua regna canat!
Ille fugit piſces: Faſtidia noſtis Erasmi . . . .
  Non potuit ſtomachi vertere jura ſui.
In piſces libros, operoſa volumina ſcripſit,
  Qualia Pellæo dicta fuere Duci.
Mitius & Verrem Cicero, quam pignora Rheni,
  Squammigeros hoſtes, mitis Eraſmus agit.
Scilicet horrorem natura inſeverat illi,
  Qualem aliis alium, ludere læta, dedit.
Veſtphalus ut ſagas quæ nocte bovilia mulgent,
  Veſtphalus ut pernis noxia ſpectra pavet:
Utque Atrei infelix frater, cum viſcere nati
  Guſtaret, mensâ fugit, & obſtupuit!
Sic leporum fugit ille dapes, ſi alter odorem
  Quem facit accenſis Caffea nota fabis.
Caſeus huic horror, qui ſi foret omnibus horror,
  Morborum minus hìc, & minus eſſet opum.

HEERKENS POEM. p. 21.

 74. Vitium

74. Vitium deficientis, aut læſæ concoctionis ciborum. Ejus notæ ſunt, appetitus remiſſior, ructus frequens, gravitas præcordiorum a paſtu, flatulentia multa, ventris tenſio moleſta, fœcesalvi minus compactæ, urina pallida, cruda, virium debilitas, cita laſſitudo, &c. Ex Celsi placito ſtomachum infirmum indicant, pallor, macies, præcordiorum dolor, nauſea, & nolentium vomitus; in jejuno dolor capitis. (m) Propius in cauſa eſt, ſtomachi & viſcerum chylificantium debilitas, ſalivæ, liquoris gaſtrici, bilis, ſucci pancreatici, penuria, vel inertia, vel qualitas vitiata. Antecedunt ingluvies, vinolentia, cibi copia, vel tenacitate, vel inſueta qualitate, inimica moleſti, animi pathemata, metus & triſtitia, curæ graves, ſolitudo aſſidua, intenſiora litterarum ſtudia, lucubrationes immodicæ, motus corporis deficiens, cruditas ex epulis contracta, &c. Præterea morbi varii, præſentes vel prægreſſi, univerſales, vel particulares, actionem ventriculi turbare, & concoctionem ciborum plus minus lædere ſolent. Quæ recens, & levioris eſt cauſæ, tanti non eſt, ut malum aliquod gravius portendat, ſed ope Diætæ, & medelæ congruæ, facile ſaneſcit. Sin autem ex graviore cauſa radices agat, ad morbos chronicos, cacochymiam, cachexiam, hypochondriaſin, arthritidem, nephritidem, hydropem, &c. viam pandit, niſi fauſta curatio intercedat. Quæ alterius morbi eſt ſoboles, etiam hoc ſublato fugam parat.

75. Ut

(m) *De Med. L. I. C. 8.*

75. Ut diverſæ autem cauſæ, ſic etiam remedia ſunt. Diæta opus eſt quibuslibet cauſis oppoſitâ, ac talibus auxiliis, quæ vires viſcerum, & liquorum digeſtivas, chylificantes, & ſanguificantes emendare, & corroborare queant. Ad quem ſcopum juvabit animi apatheia & tranquillitas, recreatîo & oblectatio jucunda, ſtudiorum relaxatio, lucubrationis intermiſſio; conſortium amicabile; dein corporis quotidiana exercitatio honeſta, potius ante, quam poſt paſtum, præſidium ad roborandam viſcerum actionem longe præſtantiſſimum; victus parcior, euchylus & eupeptus, ab ingluvie alienus; potio vini veteris optimi modica, vel etiam aquæ fontanæ chalybeatæ, aut leviter aromatiſatæ pauxillo *flavedinis corticum recentium Citri*; vel *Cinamomi acuti*, vel *ſeminis Aniſi*, *Fœniculi*; Quæ ſola victus ratio ſatis diu continuata, etiam absque aliis remediis, vitium Coctionis languidæ debellare valet. „Ex Celsi „ conſilio, ſi quis ſtomacho laborat, legere clare „ debet, poſt lectionem ambulare, tum pila, vel „ armis, aliove quo genere, quo ſuperior pars mo- „ vetur, exerceri. (n)" Quod ſi ſolum auxilium diæteticum vincendæ Dyſpepſiæ non ſufficiat, conſideranda eſt ſingularis in dato ſubjecto cauſa, eique tollendæ idonea medicamenta adhibenda. Si debilior tonus ventriculi præcipue ſit in culpa, a ſtomachicis, roborantibus, amaris, aromaticis opportuna curatio ſperanda erit, uti §. 74. eoque nomine proderit quoque uſus tempeſtivus *Vini enulati* N°. 6. vel *Eſſentiæ Abſinthii compoſ. offic.* N°. 21.

 mane

(n) *De Med. L. I. C.* 8.

mane ac vesp. ad guttas XXXX. cum vehiculo aquoso; vel infusum *pomi Aurantii amari* decussatim ad medium incisi, cum *Vini vet. opt.* ℔jj. & *sacchari unciis tribus*, ante singulos pastus, ad unciam unam; vel Infusum *Radicis Gentianæ* ad unciam I. pari ratione; vel *Pulvis stomachicus* N°. 18. nisi malis anteferre *Corticem Peruvianum*, uti supra §. 74. aut insuper ipsi adjicere *Limaturæ ferri subtil.* unciam semis in petia ligatam. Extrinsecus ipsi stomacho, si lubet, imponatur *Emplastrum stomachicum offic.* vel *Epithema* calidum ex *crusta panis tosta*, vino generoso, irrigata, & pulvere *Nuc. mosch. cinam. Zingib.* consperssa; vel *Balsamum* ex *Ung. pomat. uncia semis*, cum *Balsami Peruv. ver. & ol. Nucist. expr.* āā *drachma* I. Si cruditas ex epulis, aut aliunde contracta, pituitosa, biliosa, acida, coctionem lædat, huic vitio eadem medebitur Curatio, uti inferius §. 78. Ubi alius quicumque morbus concoctionem stomachi turbat, vel obtundit, ab illius curatione, hujus quoque emendatio expectabitur: Qui ex aliquo morbo gravi convalescunt, plerumque ad residuam viscerum debilitatem, aliquamdiu adhuc Dyspepsia laborant, licet forte supra modum famelici, nimium cibi concupiscant, quibus utique fræno opus est, ac moderatione, & stomachico roborante quodam remedio, ne ex cruditate prioris mali recidivam, aut novam ægritudinem incurrant.

CRUDITAS.

76. Vitium stomachi, quum alimenta ingesta, ob virium digerentium inertiam, non recte subiguntur,

sed

ſed ſpontanea mutatione in ſaburram pravam degenerant. Ejus notæ ſunt, languor & moleſtia poſt cibum, inflatio, ructus vel acidi, vel nidoroſi, pro varietate ingeſtorum, oris inſuavitas, capitis gravitas, interdum nauſea & vomituritio, alvi turbatio, urina decolor, &c.

Naſcitur ex intemperantia gulæ, ſi juſto major cibi, vel potus copia ingurgitatur; aut ſi major eſt alimenti viſcoſitas, & tenacitas, quam viſcera ferendo ſint. Eo magis, ubi ſtomachus a natura eſt imbecillior; aut ex animi fatigatione, ſtudiorum intemperie, vita otioſa & ſedentaria, debilitatus.

77. Medendi ſcopus eſt, mali cauſis conſulere, & vitioſam colluviem in tempore ſubducere. Opportuna hic eſt abſtinentia, pabulum cruditati ſubtrahendo, dum interea ſpontaneo naturæ medicatricis molimine, cruditas ſurſum, vel deorſum expellitur. Ad cujus imitationem, niſi ſpontanea vacuatio ſufficiat, ubi oris amarities, nauſea, caput vertiginoſum, præcordiorum gravitas, ſalivatio frequens, diatheſin ad vomitum præ ſe ferant, juvabit fauces ſtimulando, vel hauſtu largo *aquæ fontanæ ſimplicis tepidæ*, vel *mulſæ*, vel *Hydrælei*, vomitum concitare. Aut ſi hac ratione effectus non ſequatur, pro emetico *radicis Ipecacuanhæ* idoneam doſin adhibere. Sin autem nulla ad vomitionem adſit proclivitas, & naturæ conatus ad inferiorem potius viam vergat, ſatius erit alvum *lotione molliente*, N°. 22. 23. ſemel iterumque per intervalla ſubluere; aut *potione laxativa* N°. 24. vel pulvere *Rhabarbari* N°. 25. primas vias moderate purgare. A purgatione

tione temperantia colenda, totaque victus ratio instituenda, quæ causis sit opposita. Et si residua stomachi debilitas superesse videatur, usus roborantium proderit, sicut in casu §. 74. 76.

Si post assumpta glutinosa, ructus insipidi, inflatio multa, inappetentia, anxietas a pastu, nausea, capitis gravitas, &c. pituitosæ cruditatis indicium præbeant, huic præter victum attenuantem, ex fonte officinali mederi possunt antiglutinosa, *Vinum enulatum* N°. 6. *Elixir Propriet. dulc.* mane ac vesp. ad guttas XL. cum aquæ vehiculo; vel *Infusum amarum* N°. 26. m. & v. ad uncias quatuor; vel *Pulvis stomach.* N°. 18. ad drachmam I. semel aut bis quotidie. Si post ingesta acida, vel acescentia, stupor dentium, ructus acidi, dejectiones acidum spirantes, appetitus auctior, urina pallida, cruda, pallor faciei, acidam cacochyliam prodant, antacida ex usu erunt, *Pulvis absorbens.* N°. 15. *m. ac v. ad* ʒß. per se, vel cum aquoso vehiculo, cui pulveri commode tantillum *Nucis mosch.* adjicitur. Si vero ex iracundia, & animi impetu prægresso, oris amaritie, ructu acri, amarulento, ventriculi dolore, siti, siccitate, &c. biliosa cruditas adesse intelligatur, idoneus erit usus *Liquoris terræ fol. Tartari*, cum *Tinct. Rhabarb. aquosa*, N°. 27. m. ac vesp. ad drachmam unam, s. duas, cum aquoso vehiculo; vel *Decocti Cichoracei* N°. 28. ad uncias IV. VI. mane ac vesperi.

PLETHORA.

78. Sanguinis boni abundantia cum valetudinis incom-

commodo, pluribus notis innotescit, ut sunt facies rubicunda, venæ turgidæ, capitis torpor, calor plurimus, appetentia cibi ingens, pulsus plenus, magnus, membrorum gravitas, cita lassitudo, facilis sudor, a motu spirandi difficultas, vel & palpitatio cordis, somnolentia multa, proclivitas ad hæmorrhagiam, &c. post causas prægressas sanguinem accumulantes, & excretiones solito parciores; eo magis, si viscera chylopœa, & hæmotopœa sunt valida.

Plethoram gignunt, Diathesis nativa ad hunc affectum prona, animi euthymia, & apatheia, appetitus ciborum immodicus, victus lautior, alimenta valentiora, polytropha, liberalius sumpta, organa coctionis robusta, vita otiosa, sedentaria, somnus plenior, perspiratio ad ingesta parcior, evacuationes aliæ solito minores, hæmorrhagia consueta, vel hæmorrhoidum fluxus intercepta, venæsectionis, aut scarificationis aliàs solitæ intermissio.

Plenitudo recens, maturo consilio, & abstinentia ab ingluvie, omnibusque causis mali primitivis, haud difficulter curationem admittit, addendo pro re nata, missionem sanguinis, & alvi ductionem moderatam. Veterascens autem fœcunda mater est aliorum morborum, qui vel acuti, vel chronici, citius vel tardius inde scaturiunt, dolores, inflammationes, febres, spasmi, hæmorrhagiæ, hæmoptysis, vomitus cruentus, mictus cruentus, fluxus hæmorrhoidum immodicus, colica hæmorrhoidalis, hæmorrhoides cœcæ, affectus soporosi, arthritis, podagra, nephritis, malum hypochondriacum, &c.

qui

qui ne ſuperveniant, principiis obſtare oportet, ne ſerò, medicina paretur.

79. Ad Therapiam opus eſt, cauſas tollere, copiam humorum minuere, & victus rationem, & medicamenta ad eum finem congrua, adhibere. Itaque juvabit animum excitare, & exercere; ſæpe aërem & locum mutare; victu tenui & oligotropho uti, eligendo alimenta infirmiora & minus nutritia, ex vegetabili magis, quam animali regno; potu aquæ ſimplicis, vel decocto blando, ſeu *Ptiſana* N°. 10. acquieſcere; aut vini blandi valde diluti; cœnam omittere, aut valde reſtringere, numquam diu epulis accumbere; & magni HIPPOCRATIS regulam auream ſervare: *Veſci citra ſatietatem, & impigrum eſſe ad laborem*; ſomno breviore frui; corpus motu & labore quotidiano diligenter exercere; dare operam, ut perſpiratio, alvi & urinæ excretio, pro ratione ingeſtorum ſatis reſpondeant; ſi ſponte natura ſanguis e naribus, aut ex hæmorrhoidali via erumpat, eum nequaquam reprimere, ſed beneficii loco habere, alvum iteratis ſæpe clyſteribus ſubluere; Ceterum quo citius plenitudo ſaneſcat, protinus e re erit, ex brachio, vel pede, ſanguinis uncias x̂. plus minus ſubtrahere, vel etiam, ſi urgeant ſymptomata, misſionem poſtridie iterare; aut ſi quid venæſectioni obſtet, cucurbitulas nuchæ, dorſo, & brachiis, aut etiam artubus inferioribus, numero ſeptem, vel plures applicare. Deinde *Potione laxativa Tamarindinatâ* N°. 29. alvum ducere. Poſteaque in plures hebdomadas, mane ac veſperi *decocti Tamarindinati* N°. 30. libram ſemis, vel uncias x̂. haurire; aut

mane

mane ac vefperi fumere drachmam I. *Cremoris Tartari*, cum aquæ fontanæ unc. VI. Superato præfenti malo, ad prophylaxin convenit, præter diætam extenuantem, quolibet trimeftri, nifi fpontanea cruoris vacuatio intercedat, venam fecare, vel fcarificationes iterare, præmiffa vel fubjuncta *Potione laxativa*, modo indicata. Vere ac autumno poft ufum venæfectionis, per aliquot dies fucceffivos alvus ducatur, fingulis mane propinando hauftum *apozematis laxativi* N°. 31. vel *Aquæ Bohemicæ fedlicenfis* ℔j. tepefactam, cum *falis fedlic. uncia dimidia*, nifi aqua fola ad fcopum fufficiat. Poftea vero per menfem integrum mane ac vefperi fumantur *feri lactis fimpl.* libræ duæ, vel ejufdem *Tamarindinati* No. 32. libra I. fubcalide. Cui ad majorem efficaciam quotidie drachmam unam *Cremoris Tartari* interponere licebit. Æftivo tempore ufus Acidularum prodeffe poteft, per aliquot hebdomadas, quotidie mane ad copiam largiorem, nec tamen exceffivam, fi modo Victus temperantia, cum felectu idoneo ciborum minus valentium, obfervetur. Ceterum quoad miffionem fanguinis tenendum eft, ejus nimiam frequentiam, vel copiam, damno effe, fiquidem hoc ipfo natura quantum ejus detractioni adfuefcit, tantum celeriori cruoris regenerationi, ipfique adeo plenitudini, magis opportuna redditur.

HÆMORRHOIDUM DIFFICULTAS.

80. Interdum Naturæ molimina, ob fanguinis redundantiam, ad fluxum hæmorrhoidalem tendunt, fed abfque eruptionis fucceffu; vnde fpafmodica oriuntur

tur

tur ſymptomata, ſæpe admodum dolorifica, ardor inteſtini recti, cum teneſmo, ſeu frequenti & moleſta deſidendi cupiditate, dolor in regione oſſis ſacri, torſiones ventris inteſtinales, cardialgia, dolor iſchiadicus, nauſea, vomitus, ſtranguria, horripilatio, &c. quandoque muci cruenti veſtigia quædam in dejectione.

Huic moleſtiæ cauſam præbet, ſanguinis abundantis forte nimia ſpiſſitudo, vel tenacitas, & vaſorum hæmorrhoidalium reſiſtentia major, ſcybala in alvo cumulata, vis circulationis remiſſior, &c.

Si tandem inter dolorificos niſus vaſa dehiscunt, cum aliqua cruoris egeſtione, malum protinus levatur, ac ſi vacuatio paulo plenior fuerit, pro tempore æger convaleſcit, donec interpoſito temporis intervallo, nova acceſſio recurrat. Sin autem irrita ſint molimina, nihilque prodeat cruoris, ſpaſmodici dolores, ſeu inteſtinorum, ſeu aliarum partium, pertinacius affligunt, niſi idonea medela opem ferat.

81. Medendi ſcopus eſt, ſanguinis copiam minuere, ſpiſſitudinem diluendo tenuare, meatum inteſtinalem mollire, lubricare, ſubluere, ſpaſmos lenire, ſedare. Quo facit animi corporiſque quies, abſtinentia, cibi pauciores, lenes, mollientes, diluentes, potus aquoſus leniens; venæſectio in alterutro pede ad uncias decem, plus minus; vel cucurbitulæ cum ſcarificatione, femoribus, cruribus, pedibus applicandæ; alviductio cum *hauſtu laxativo mannato* N°. 33. Deinde *Tinctura aquoſa florum malvæ* N°. 34. vel *Emulſio temperans* N°. 35. vel

etiam

etiam *Serum Lactis ſimplex*, mane ac veſperi ad ℔j. II. Præterea *clyſteres aquoſi*, *lactei*, *oleoſi*, *blandi*, indies bis terve pro re nata iterandi. *Vapor aquæ bullientis*; vel *Lactis*, vel *Decocti emollientis Altheæ*, *chamom. Malvæ*, *Verbasci*, ad anum in ſella perforata admiſſus; vel *Semicupium emolliens*, *ſimile*.

HÆMORRHOIDES COECÆ.

82. Sæpenumero vaſa hæmorrhoidalia, interna vel externa, ſanguine congeſto, ſtagnante, turgent, ac dolent, nec tamen aperiuntur, quas vulgo *Cæcas hæmorrhoides* appellant. Nunc intra rectum inteſtinum, propius ab exitu, vel paulo remotius, nunc extra circa ambitum orificii oriuntur, ſub ſpecie unius, vel plurium tuberculorum, ceraſi forte mole & figura, minore vel majore, modo abſque dolore, aut modico ſaltem pruritu, modo cum inflammatione, & acerbo cruciatu, præſertim in alvi dejectione infeſtantes. Comitatur hoc malum teneſmus, ſeu frequens & dolorificus deſidendi conatus, aliquando & dolor lumborum, aut ventris torſiones, ſtranguria, aliaque ſymptomata.

Natales ducit hoc vitium a Plethora, euchyma vel cacochyma, alvi ſegnitie, ſcybalis coacervatis, lentore ac ſpiſſitudine humorum, ſpaſmis, ad hunc locum congeſtoriis, ſeſſione multa, vectione aut equitatione longa, diatheſi nephritica, podagrica. In leviore caſu, toties ejusmodi tubercula ſponte natura reſolvuntur & evaneſcunt. Quandoque ſanguinis eruptione quadam ſecuta diſſipantur. Interdum aliquod tuberculum gravius inflammatum pus colligit,

colligit, & maturatum ulceratur, in euchymis sanabile; sed in cacochymis aliquando fistulosam labem post se trahens.

83. Ad scopum medendi, opus est vasa tumentia mollire, laxare, deplere, sanguinem diluere, attenuare, solvere, dolores lenire, inflammationem, si adsit, resolvere, aut si ad suppurationem vergat, maturare. Igitur ratio victus adhibeatur causis opposita; æger animo & corpore quietem servet, abstineat a vino, & omnibus calefacientibus; utatur potu Aquæ simplicis fontanæ, vel tantillo *Syrupi Violarum* dulcoratæ, vel *Decocti hordeati*, *passulati*, leviter *citrati*; victu parco, leni, molliente, temperante, humectante; sorbitione blanda ex carne vitulina, cremore hordei, oryzæ; oleribus, *Spinachia*, *Lactuca*, *Endivia*, *Acetosa hort.* *fructibus horæis*, *pomis*, *prunis*, *passulis*, coctis, &c.

Alvus solvatur protinus *Clystere molliente, lubricante* N°. 22. 23. post horas 12. repetendo. Mittatur sanguis e brachio ad uncias decem, plus minus; aut si vasa hæmorrhoidalia in margine ani satis nuda appareant, mollia & turgida, ope lanceolæ caute aperiantur; vel applicatis hirudinibus aliquot depleantur. Ad alvum lubricandam, molliendam, & dolores leniendos, præter clysteres, proderit *olei amygd. dulc.* & *Syrupi de Alth.* ana *uncias duas* miscere, & quovis trihorio unciam sumere. Vel si alvus non satis respondeat, *haustu mannato* N°. 33. illam expedire. Porro ad leniendum valebit *Tinctura flor. Malvæ hortens. nigr. aquosa* N°. 34. quolibet trihorio ad uncias tres. Aut *Emulsio temperans* N°. 35.

Si

Si longius malum duret, ufus *Seri lactis fimplicis*, vel *Tamarindinati*, vel *feri lactis dulcis Hoffm.* mane ac vefp. ad lib. I. vel tantumdem *Aquæ felteranæ*, vel mifcela utriusque æquali portione conveniet.

Si dolores urgeant, enematibus mollientibus & demulcentibus infiftendum, ut N°. 35. vel demulcens N°. 36. vel anodynum N°. 37. Quandoque *olei rec. puri Oliv.* f. *Lini*, f. *Papav. alb. uncias tres* tepide in alvum dare prodeft. Aliàs molliendis, ac mulcendis tuberculis, tepide illinitur oleum rec. *oliv. Lini*, *Papav. albi*, *Malvæ*, *Momordicæ*, *Verbasci*, *Lil. alb.* vel *Butyrum rec.* non *falitum* cum *vitello ovi* mixtum; vel *Ungt. anodynum*, de *Linaria*; vel *Mucilago fem. Lini*, *Cydon. rad. Alth.* adjecto *vitello ovi*; aut fotus paratur cum *Vefica vitulina*, *aqua*, *lacte*, *oleo oliv.* fubfemiplena, & calide ano impofita; vel ex *lacte*, *aqua fimpl.* vel *decocto paregorico* ex *Althea*, *Malva*, *florib. Papav. rh. Chamom. Verbasci*, *Sambuci*, *Meliloti*, cum *aqua* & *lacte*, cui fpongia mollis, vel tela lanea immerfa, & expreffa, calide fuperdatur, renovando alternis horis, vel quoties refrixerit. Tentare etiam licet balneum vaporofum, ex eodem decocto, vel faltem ex aqua & lacte bulliente, in fella perforàta, ad partem affectam adhibendum.

Si tubercula pertinacius inflammata in fuppurationem tendant, *pepticis unguentis*, vel *cataplasmatibus* maturanda veniunt, & tempeftive aperienda, & depuranda, ne pus retentum, in tunica cellulofa cuniculos agat.

HÆMORRHOIDES ALBÆ.

84. Cum moliminibus hæmorrhoidalibus, torſione quadam ventris inteſtinali, dolore lumborum, pruritu, vel ardore ani, ac frequenti cupiditate deſidendi, interdum dejectio ſeri, mucique ſpiſſioris ſuccedit, absque cruoris miſcela, niſi forte exiguis aliquando ſtriis interjectis, quas *hæmorrhoides albas*, ſeu *mucoſas* vocare ſolent. Nonnunquam alvi fluxus antecedit, vel comitatur hunc caſum, cui nomen *Diarrhœæ hæmorrhoidalis* imponere licet. Ex arteriis hæmorrhoidalibus internis, per anaſtomoſin in cavum inteſtini recti provenire materia mucoſa videtur, quâ via magis patefacta aliàs ipſe cruor hæmorrhoidalis eructari ſolet. An minor ſanguinis copia? aut ejus ſpiſſitudo major? aut impulſus remiſſior in iſta vaſa? facit, ut retento in vaſis cruore, nonniſi ſerum mucoſum excernatur? Conjecturam probabilem reddit, ipſe fluxus cruentus interdum pediſſequus.

Fluxus hic ſibi relictus, plerumque ſua ſponte intra pauciores vel plures dies terminatur, ipſique ſola abſtinentia, & moderatior victus blandus, mollis; vel pauciora ſaltem remedia lenientia demulcentia ſufficiunt. Reprimentia quævis intempeſtiva ſunt, & graviorem noxam minantur.

85. Hic fluxus perinde, ac hæmorrhoidum fluxus cruentus, vacuationis, aut depurationis naturæ ſalutaris loco haberi meretur, ideoque medela non indiget, ſi modum non excedit, ſed tuto ſibi relinqui poteſt. Sufficit animi & corporis quiete, temperato

perato calore, & victu modico leniente, blando, molliente, sibi consulere. Quod si acrior tenesmus, ventris major turbatio, lumborum dolores, inappetentia, somnus interceptus, horripilatio, &c. dyscrasiam & acrimoniam humorum nimiam, ac irritationem intestinalem valentiorem prodant, ad medendi scopum, juvabit præter abstinentiam ab acribus & stimulantibus, & lenientem cibum & potum, enemata demulcentia semel aut bis quotidie adhibere, ut N°. 36. ac *Tinctura florum Malvæ aquosa* N°. 34. vel *Emulsione temperante* N°. 35. vel etiam usu *pulveris demulcentis* N°. 38. subvenire.

HÆMORRHOIDUM FLUXUS NIMIUS.

86. Fluxus hæmorrhoidalis copia non est ad punctum determinata, sed pro ætate, temperamento, victu, regione, anni tempore, aliisque variantibus causis, inprimis pro vario plenitudinis, & sanguinis orgasmi gradu, multum differre solet. Ac proinde excessus ejus, non tam ex erumpentis cruoris modo, seu quantitate, quam ex consideratione habitus, victus, temperiei, consuetudinis, & virium, æstimari debet. Si præter solitum sanguis haud paullo abundantior fluit, cum notabili virium jactura, appetitus prostratione, & plurima œconomiæ vitalis & animalis læsione, tum demum immodica profusio dici meretur.

Opportunum huic malo corpus reddit, temperies sanguinea, cholerica, animi pathemata gravia, plethora turgens, impetus febrilis, diathesis scorbutica, aër fervidus, intemperies gulæ, vina generosa,

liquores ardentes, cibi acres, aromatici, calefacientes, motus & exercitatio valentior, balnea calentia, medicamenta aloëtica, catharctica acriora, &c.

A profluvio hæmorrhoidali quantumvis largo, nihil eſt periculi, niſi plane omnem modum excedat, ſuique exceſſus certas notas præ ſe ferat. Nam tum demum vitale liquidum exhauriendo, vitæ discrimen adferre, vel cachexiam, leucophlegmatiam, hydropem, tabem, &c. poſt ſe trahere poteſt.

87. Medendi ſcopus eſt, ſanguinem a vaſis hæmorrhoidalibus revellere, impetum circulationis temperare, acrimoniam lenire, & ſymptomata urgentia ſedare. Quo faciunt auxilia diætetica & pharmaceutica, & chirurgica, cauſis & naturæ mali oppoſita: Animi & corporis ſumma quies; abſtinentia a vino & omnibus ſpirituoſis, & ſtimulantibus; victus pertenuis, leniens, refrigerans; potus *aquæ fontan. Syrupo Papaveris errat.* nonnihil *dulcoratæ*, adjecto modico *nitri depur.* vel *Decocti* ex *hordeo & paſſulis min. mund.* pro cibo, pultes ex *hordeo*, *oryza*, *avena decoct.* ex *lacte & ovis*, poma, pyra, ceraſa, pruna, &c. cocta. Niſi alvus ſatis expedita ſit, juvabit eam ſubluere enematibus ex *aqua & lacte*, cum *vitello ovi*, & *oleo Lil. alb. Verbaſci rec.* Si nondum enormis jactura ſanguinis fuerit, pulſus adhuc bonus, nec vires nimium quantum exhauſtæ, ad revulſionem proderit modica Venæſectio in brachio, ad paucas ſaltem uncias, aut cucurbitulæ cum ſcarificatione ſcapulis applicandæ. Orgasmum ſanguinis temperabit, ejusque acrimoniam leniet *Emulſio refrigerans* N°. 39. cujus unciæ duæ ſumantur

quolibet

quolibet bihorio. Vel *Julapium refrigerans* N°. 40. cujus frequenti intervallo tres unciæ hauriantur. Ad præcavendum mali recursum, confert juxta idoneam diætam, usus *Aquæ mineralis Selteranæ* cum *Lactis asin. pari portione*, mane per plures hebdomadas ad *libram I. II.* tepide haurienda. In casu valde præcipiti ligatura artuum prudenter adhibita non aliena foret. Si a sanguinis dispendio algor extremorum, & animi defectio metum incutiat, *acetum rosaceum* naribus, temporibus, scrobiculo cordis, & manuum carpis admovere, & *cardiaco temperato domestico* N°. 41. viribus subvenire oportebit, cum ea cautela, ne nimis roborando profluvium sanguinis recrudescat.

CATARRHUS.

88. Pathemata catarrhalia, quibus nihil apud mortales est vulgatius, etiam Religiosis frequenter accidere solent. Humor aquosus, vel serosus & mucosus, copia redundans, vel etiam qualitate peccans, in membranam pituitariam, ejusque recessus longe lateque expansos, congeritur, ibique stagnando pro diversa sede affecta, multivaria symptomata creat, ut sunt cephalalgia, hemicrania, otalgia, odontalgia, ophthalmia, aurium gravitas, sonitus, susurrus, tinnitus, bombus, vertigo, sternutamenta, raucedo, dyspnoea, tussis, nausea, vomitus, diarrhœa, febris, &c. Nimirum humor in sinubus pituitariis capitis collectus *Gravedinem*, in nares destillans, *Coryzam*, in fauces & laryngem depluens *Branchum*, in tracheam & bronchia, & pulmones delapsus, *Dyspnœam* ac *Tussim* movet, idque nunc sine,

nunc cum febrili insultu comitante. „ Gravedo na-
„ res claudit, vocem obtundit, tussim siccam movet;
„ sub eadem vero salsa est saliva, sonant aures,
„ venæ mouentur in capite; turbida urina est. Si in
„ nares distillaverit, tenuis per has pituita profluit,
„ caput leniter dolet, gravitas in eo sentitur, fre-
„ quentia sternutamenta sunt. Si in fauces, has ex-
„ asperat, tussiculam movet. Si in pulmonem, præ-
„ ter sternutamenta & tussim, est etiam capitis gra-
„ vitas, lassitudo, sitis, æstus, biliosa urina. (o)

Morbum facit seri aquosi, mucosi colluvies, in membranam pituitariam congesta, indeque per nares, per os, per fauces, tracheam, vel & per gulam, ceu emunctoria sibi congrua, exitum quærens. Humoris qualitas blanda, mucosa, iners, vel acrior, salina, stimulantior, inter catarrhum frigidum, & calidum, discrimen facit. Antecedenter ad catarrhum disponunt temperies mucosa, phlegmatica; anni mutationes, cœli vicissitudo, aëris injuriæ, tempestas humida, frigida, procellosa, perflatus ædium, nudatio corporis intempestiva, pedum refrigeratio, vestitus tenuior, stragula dormientis solito leviora, vita sedentaria, otiosa, intemperantia gulæ, potio nimis frigida, præsertim corpore, ab itinere, a motu & labore, a fervore solis, a balneo, æstuante; capitis occupatio assidua, studia litterarum intensa, lucubratio multa, &c.

Catarrhus humore constans seroso, mucoso, benigno, nihil periculi alit, ac sua sponte unius, vel alterius hebdomadæ spatio, nunc citius, nunc tardius sanescit.

Qui

(o) CELSUS *de Medic. L. IV.* C. 2. *N°.* 4. *edit. Basil.* 1748. *p.* 190.

Qui autem calidioris eſt indolis, a ſero tenaciore, & ſimul acriore, gravius & pertinacius affligere ſolet. Gravedo ſternutamentis, coryza narium ſtillicidio aquoſo, tenui, vel excretione ſpiſſioris muci, intra dies paucos, vel plures, aliquando ſerius finitur. Perinde Branchus, mediante ſcreatu pituitoſo. Catarrhus pectoris, ſenſim matureſcens, per tuſſim, ſputo mucoſo, pituitoſo, plus minus glutinoſo, parciore vel uberiore, plerumque intra paucas hebdomadas ſolvitur; niſi ætas provectior, virium imbecillitas, organorum atonia, humorum intemperies pejor, diætæ neglectus, aut perverſa medela, malum contumacius reddant.

„ Raucedines & Gravedines in valde ſenibus non coquuntur. HIPP. (p) Niſi morbus exhauriatur, & diatheſis humorum catarrhoſa emendetur, in habituale vitium degenerare poteſt.

89. Ad medendum oportet 1) cauſas catarrhi primitivas tollere. 2) Colluviem ſeri ſtagnantis attenuare, & per viam naturæ commodam eliminare. 3) Symptomata urgentia lenire. 4) Diatheſin mucoſam corrigere, & regenerationem catarrhi præcavere. In abſtinentia, quiete, victu tenui, blando, molli, & moderato calore, tantum eſt præſidii, ut ſæpe hoc ſolo natura medicatrix ſibi opem ferat. Prodeſt animo eſſe tranquillo, cubiculo uti ſubcalido, ſicco, ſalubri; potione egelida, aquæ font. optimæ vel hydrogalæ, vel decocti *hordeati*, *avenacei*, vel *ſpecierum* N°. 10. dilutioris; pro cibo *ſorbitione calida hordeacea*, *avenacea*, *carnea*, blanda, levi; vel

 cremore

(p) APHOR. II. 40.

cremore hordei, *avenæ*, *oryzæ*; vel etiam *pomis optimis coctis*, ſaccharo adjecto; tum demum aliquid plenius addendo, cùm ſe inclinare morbus incipiat. In principio vino abſtinere ſatius eſt, in progreſſu jam miteſcentis catarrhi, febre prorſus abſente, aliquid vini potioni aquoſæ admiſcere, vel interponere licebit. Perſpiratio curæ eſſe debet, quæ ut repreſſa ſæpenumero catarrhum gignit, ſic auctior ſua ſponte, vel arte reddita, ejus curationi proficere ſolet. Miſſione ſanguinis vulgo haud opus eſt, niſi febris multa comes, aut intenſus capitis dolor, vel anxietas, & ſpirandi gravior difficultas, aut violentior tuſſis, eam poſtulare videantur. Interea alvum liberam eſſe juvat, vel eandem *lotione molliente* N°. 22. ſolvere; vel etiam *potione laxativa* N°. 24. vel *Pilulis* N°. 14. moderate ſubducere.

90. In *Gravedine* & *Coryza*, præter auxilia jam memorata (89), bene eſt, caput velare, & in moderato calore quietum tenere; vel etiam lintea mollia, *fumo Maſtiches*, *Olibani*, *Myrrhæ*, *Succini*, &c. imbuta circumdare; Si quæ pars capitis impenſius laborat, ipſi fomentum ſiccum, ex *furfure*, *flor. Chamom. Sambuci*, *Meliloti*: *Cheiri*, &c. adhibere; aut veſicam vitulinam *hydrogala* ſubſemiplenam; aut ſpongiam mollem, aqua, vel lacte madidam, & expreſſam, calide imponere; aut vaporem ſimilem tecto capiti ſubjicere, aut naribus aquam, lac, tepide interdum excipere; in dolore admodum urgente, *lacti capita papaveris albi*, cum *croco* incocta, nobile paregoricum præſtant. In caſu pertinaciore, *ſinapiſmus*, aut *veſicatorium*, vertici, vel tempo-

temporibus, vel pone aures, vel in nucha, adhibere convenit.

91. BRANCHUS eadem desiderat auxilia (89). Sorbitiones in hoc casu optimæ parantur ex carne vitulina, cum incoctis *rapis*, vel *brassicâ capitata rubra*, adjecto interdum ovi vitello; vel ex *Decocto Furfurum* cum *Saccharo cando*, & *ovi vitello*. Sorbitionibus interponatur quolibet trihorio, *Infusum molliens*, *lubricans*, N°. 42. vel *Apozema* N°. 43. ac sæpe sæpius cochleare plenum sumatur, lente per gulam demittendum *Syrupi euporisti*, ex *succo raparum* & *saccharo* parati; vel *syrupi cum oleo* N°. 44. vel *Linctus* N°. 45. 46. Interea alternis horis calide colluantur os & fauces, cum *decocto hordei mellito*, vel cum *gargarismate molliente, lubricante, abstergente*, N°. 47. vel cum *Hydrogala simplici*, vel inspirando excipiatur aliquoties per diem, *vapor aquæ*, vel *lactis*, vel *decocti emollientis* N°. 48. vel *oxycrati* simplicis. Externe ipsi gutturi superdari potest *Emplastrum de meliloto*, & *diachylon simplex*; vel *cataplasma molliens* N°. 49. vel eidem illiniri *oleum oliv. rec.* vel *Lil. alb. Chamom.*

92. In CATARRHO PECTORIS eadem ratio victus, & auxilia (89) conveniunt. Alternis horis sumantur aliquot unciæ sorbitionis calidæ (89); vel *euporistæ anticatarrhalis* N°. 50. vel paretur alia ex carne vitulina, vel gallinacea, vel pulli cohortalis, cum incoctione *rad. raparum*, *dauci hort. Brassicæ*, *Chærefol.* frequenter pocillanda; alternis, si lubet, interponendo aliquot uncias *decocti pectoralis* N°. 12.

vel *Theæ compoſ.* N°. 11. Si Tuſſis urgeat, cum ſputo minus obſequioſo, proderit *Eclegma lubricans, becchicum*, N°. 45. 46. acuendum pro re nata additione *oxymelitis ſcill. unc.* I. vel *ſyrupus cum oleo* N°. 44. & *Elæoſaccharum becchicum* N°. 51. Si catarrhus pertinacior in longum excurrat, iteranda eſt blanda alvi ductio, ut (89.) & in uſum vocanda per aliquot hebdomadas, mane ac veſp. *jura medicata naſturcina* N°. 52. vel *Aqua mineralis ſelterana ad* ℔j. cum *Lactis vaccini*, ſ. *caprini*, vel, ſi haberi queat, *aſinini* pari portione. Ore ſæpius teneatur particula rad. rec. *Glycirrhyzæ*, vel *Paſtæ de Alth.* vel *Sacchari Berolin.* vel *trochiſcus becchicus alb.* vel *crocat.* Enemata interdum iterentur, per totum morbi curſum. Corpus ſit bene tectum, præcipue pedes & pectus, cui tegmen molle, lineum, laneum, vel pelliceum injiciatur; alicujus momenti eſt inunctio calida, cum *Butyro rec.* vel *Unguento viridi, potab.* vel *Ungt. pector.* vel *dialth.* vel impoſita veſica lacte, aqua, oleo ſubſemiplena; vel *Cataplaſma molliens* N°. 49. Etiam pediluvia tepida, mollientia, aquoſa, lactea, ſaponacea, uſum præſtare queunt. Ad prophylaxin, malo feliciter ſuperato, confert uſus Diætæ anticatarrhalis, videli cauſis oppoſitæ; Item Laconici menſtruatim repetendi, & æſtivo tempore quam maxime, uſus moderatus ac tempeſtivus thermarum mineralium, cum debito regimine, in potu & balneo; quocirca Medici periti ac prudentis conſilio opus eſt.

RAUCEDO.

93. Raucitas vocem & loquelam obtundens, vel ſuppri-

ſupprimens, plerumque catarrhi ſoboles eſt, ejusdem curationis cum Brancho (91). Interdum alias agnoſcit cauſas, quæ organum laryngis infeſtando, ejus glabritiem exaſperant, vel cartilaginum elaterem infringunt, aut nervorum & muſculorum vires debilitant, quo minus aër exſpirando tremorem ſonorum concipere queat. Sæpe originem dat raucitati inclementia cœli, aër fervidus, præſiccus, pulverulentus, ventus adverſus frigidus, potio gelida intempeſtiva, corporis æſtuantis ſubitum refrigerium, penuria potûs, & ſitis protracta; vini generoſi, aut liquorum ardentium abuſus, cibi acres, ſaliti, aromatici, nimis calefacientes; oratio vehemens, longa, cantus & vociferatio intenſior, inflatio fiſtularum, tubarum valida, frequens; motus & exercitatio corporis laborioſa nimis, &c. In raucitate acuta, intumeſcentia, inflammatio, ſpasmus partium laryngis, & vicinarum; In chronica, tumor glandularum, ſcirrhus, nervorum & muſculorum aliqua paralyſis ſubeſſe videtur. Pro diverſitate cauſæ, & vitii genere, quo nervi, muſculi, membranæ, ligamenta, cartilagines, glandulæ laryngis laborant, raucitas levior aut gravior, brevior aut longior, magis aut minus ſanabilis eſt. Nonnumquam radicato laryngis vitio, morbus chronicus, & maxime refractarius eſſe ſolet.

94. Ad medendi ſcopum, neceſſe eſt, cauſas primordiales tollere, & vitium Laryngis emendare, eamque ſuæ integritati reſtituere. Juvat in aere temperato ſe continere, a cantu & vociferatione, inflatione tubarum, motu & contentione corporis abſtinere,

nere, vinum & ſpirituoſa & acria quæque omittere; potare aquam egelidam bonæ notæ, tantillo *Syrupi Capillorum*, aut *Violarum*, edulcoratam; vel *decoctum leve hordei*, & *paſſularum minorum* cum pauxillo *Liquiritiæ*; victu uti modico, blando, leni, humectante, lubricante, molliente; ſorbitione carnea vitulina, cum ovi vitello, vel jure hordeaceo, avenaceo, oryzaceo, farinaceo, lacteo ſaccharato; pulticulis ex vitello, vel albumine ovorum, cum cremore lactis & ſaccharo; ovisgallin. rec. ſorbilibus; pomis mitioribus coctis, & ſaccharatis, &c.

In principio, ſi plenitudinis, febris, inflammationis notæ adſint, ſine mora ſanguis mittendus ad uncias VIII. X. aut cucurbitulæ in cervice, pone aures, in dorſo, defigendæ N°. VII. cum ſcarificatione. Et in tali caſu, & in alio quoque; alvus ſolvatur *lotionibus iteratis*, *mollientibus* N°. 22. vel *potione laxativa* N°. 24. Porro quolibet trihorio ſumatur *decoctum leniens*, *lubricans*, *molliens* N°. 43. vel *Infuſum* ejuſdem facultatis N°. 42. adjecta in ſingulas doſes Lactis parte tertia, & ſubinde interponatur *Linctus* N°. 45. 46. aut *Julapium* N°. 53. Extrinſecus eadem valebunt remedia, ut (91). Si raucitas eſt diuturna & obſtinata, æſtivo tempore, vel etiam alio, opportunus erit uſus aquarum mineralium moderatus, in potu & balneo, non ſine accurato regimine diætæ; vel potatio *Lactis aſinini puri*, vel cum *Aquæ ſelteranæ* pari portione commixti, mane ac veſp. ad *libram* I. II. vel *Seri lactis ſimplicis* tantumdem, aut *Tamarindinati* ad plures hebdomadas ſucceſſivas.

FEBRIS CATARRHALIS BENIGNA.

95. Sæpenumero Catarrhus febrim comitem habet, quæ ſubit cum frigore & horrore, quem excipit æſtus totius corporis, virium languor, membrorum laſſitudo, inappetentia, nauſea, ſitis, capitis gravitas dolorifica, ſenſuum hebetudo, oris viſcoſitas, vox ſubrauca, reſpiratio minus libera, pulſus naturali velocior, tuſſis in principio ſicca, deinde matureſcendo humida, cum ſputo mucoſo, pituitoſo viſcido, plus minus liberali; urina rubicunda, coloratior fertur; quandoque aures ſonant, oculi rubent ac madent, vel etiam caligant; frequentia forte ſternutamenta ſunt, per intervalla intercedunt vagæ horripilationes, aut per aliquot dies ſub veſperam cum frigore novus inſultus febrilis. Cauſas cum catarrho communes habet; ſeri forte major acrimoniâ febriles turbas ciet, quæ a ſimpliciore morbo abſunt.

Hæc febris vulgo periculi expers eſt. Sæpe febris ephemeræ ſpeciem præ ſe fert, quæ vel intra νυκτήμερον, vel pauciores dies, per viam tranſpirationis, aut emunctorium alvinum, & renale, nec non excretione mucoſa per nares, & ſcreatu ac ſputo craſſo, pituitoſo, ſuam criſin conſequitur. Interdum ubi pertinacior eſt cauſa, inalteram hebdomadam, aut longius excurrit. Aliquando febre ex voto finita, tuſſis, aliaque pathemata catarrhalia remanent, nonniſi paulatim ſputo, ſeu expectoratione, & aliis excretionibus criticis finienda.

96. Ad ſanationem, oportet (1) rationem victus

cauſis

caufis oppofitam inire. (2) Materiam morbificam emendare, coquere, & fecundum molimina naturæ critica per emunctoria commoda eliminare. (3) Symptomata forte urgentia lenire. Prodeft animi & corporis quies, aër falubris & temperatus, lectus mollis, tepidus; potio aquæ font. fimplex, egelida; vel *Decoctum hordei*, & Paffuł. min. vel *radic. Gramin.* pro cibo, *jufcula blanda hordeacea, avenacea, carnea*, quolibet trihorio ad aliquot uncias calide fumenda; interponendo, fi lubet, modicum de *pomis coctis, faccharatis*, vel eorum, aut fimilium fructuum *gelatinam*, vel *condituram.* Alvus folvatur *enemate molliente* N°. 22. Deinde poft horas ab infultu frigoris 12. vel plures, impetu febrili nonnihil remittente, propinetur *hauftus catarcticus mannatus* N°. 33. fubjungendo fingulis horis jufculi calidi quantum lubet.

Ex fonte pharmaceutico juvabit *Decoctum diapnoicum* & *pectorale* N°. 54. vel infufum N°. 42. ad uncias IV. fexta quaque hora calide forbillandum; Noctu autem *julapium temperans, ac leniens* N°. 53. vel *Emulfio* N°. 35. partitis vicibus fumenda. Si febre difcuffa, tuffis fuperfit longior, eadem auxilia valebunt, quæ fupra (§ 92.).

Si febris fit valida, magni calores, pulfus magnus, citatus, in principio aliquot horis a frigore prægreffo, mittatur fanguis in brachio, vel pede, ad uncias VIII. X.

Ratio victus fola, abfque aliis auxiliis, fæpenumero fanationis fcopum attingit, dum natura medicatrix admirabili efficacia toties fibi ipfi fufficere folet.

MALUM

MALUM HYPOCHONDRIACUM.

97. Qui ab hypochondriis nomen habet Morbus, apud Litteratos tam frequens, non minus apud Religiosos est familiaris, adeo quidem, ut pauciores ejus effugiant calamitatem. Malum est valde polymorphon, velut congeries multorum pathematum, cui accuratius enarrandæ vix ulla sufficit facundia. Ita affectis nullus est querelarum finis, & nova indies ærumnæ scena, facies vel Protheo mutabilior. Animo sunt cogitabundi, subtristes, inquieti, sensibiles, meticulosi, solitudinis amantes; Vultus subpallescit, oculi languent, habitus est siccior, pulsus & respiratio lenta, actiones tardæ, sensus hebetes, memoria labilis, somnus inquietus, insomnia crebra, terriculosa; alvus segnis, urina varia, sæpe cruda, aquosa, pallida, interdum crassa, turbida, sedimentosa; appetitus ciborum modo vegetus, modo iners, nonnumquam immodicus; præcordia anxia, præsertim a pastu, cum aliquo interdum spirandi incommodo; in stomacho & intestinis regnat cruditas & flatulentia; ructus per gulam crebri, familiares, nunc insipidi, nunc acidi, vel nidorosi, præ ingestorum varietate, venter sæpe flatibus rugit ac murmurat; phlogoses a cibo in faciem aliquando aspirant; nec raro incursant dolores capitis, aliique spasmodici, anomali, variarum partium;

Morbo ingravescente, æger animo & corpore magis conflictatur, mentis tristitia urget, interdum citra causam lacrymæ stillant, ingens est pusillanimitas, & ex leviore quovis malo, cita abjectio & desperatio vitæ; in capite majores extant turbæ, vertigo,

tigo, ſomnus turbulentus, imaginatio læſa, delirans, cum pertinacia aberrans; in primis viis uberior flatuum copia, & ſpaſmorum frequentia, quandoque cum nauſea, & vomitu crudo; Nonnumquam incidunt repentinæ præcordiorum anxietates, cordis palpitationes, virium imbecillitas, extremorum algor, mortiſque velut inſtantis metus. Tandem veteraſcente malo, altiuſque radicato, totum ſyſtema viſcerale abdominis, hepar, lien, pancreas, meſenterium, magis magiſque vitiantur, omneſque humores ad ſummum degenerant, totaque œconomia animalis peſſumdatur. Eſſentialis morbi cauſa, in generis nervoſi debilitate, mobilitate, & ſenſibilitate præternaturali, & ſtomachi ac inteſtinorum actione turbata conſiſtere videtur, quam SYDENHAMO, ſub nomine *Ataxiæ ſpirituum* denotare placet. Originem præbere ſolent cauſæ procatarcticæ, animi gravia pathemata, cura & ſolicitudo anxia, deſiderium vehemens rei non impetrabilis, contentio mentis valida, ſtudia litterarum valde intenta, lectio, meditatio, lucubratio immodica, vigilia protracta, unde ſtamina cerebri, & nervorum, aſſidua agitatione infirmantur, cum ſpirituum diſpendio, atque ſtomachus & viſcera chylopojetica labefactata in ſua functione perturbantur. Cui altera accedit cauſa, perinde valetudini inimica, ſcil. frequens ſolitudo, vitaque cubicularis & ſedentaria, indeque deficiens motus muſcularis, ſeu potentiæ motricis, ad actionis viſcerum integritatem neceſſariæ. Affectus eſt chronicus, & contumacia nobilis, & ægrorum, & medicorum crux, & ſcandalum, omnem patientiam fatigans; nec tamen adeo periculoſus, aut mortiferus,

rus, ſed cum homine conſeneſcens, niſi gravior cauſa intercedens vitæ terminum acceleret. Jn principio ſpes curationis affulget, ſi fons & origo mali mature profligetur; protinus ratione vivendi mutata. Sin cauſæ originales perſeverent, ac morbus radices agat, vix ulli medelæ cedit. Si varices in cruribus oriuntur, aut fluxus hæmorrhoidum tempeſtivus, & liberalis ſuperveniat, malum levari ſolet. Vulgo hypochondriacis uſu venit, avide remedia concupiſcere, & ingurgitare, at niſi prompte ex voto reſpondeant, mox iterum ſeponere, & cum aliis atque aliis indeſinenter commutare; quo ipſo morbus ſemper in deterius vergit, ſiquidem tanta varietas, & farrago medicamentorum, præſertim valentiorum purgantium, ſtomachum & viſcera, cum toto genere nervoſo, magis magiſque labefactare ſolet.

98. Medendi ſcopus eſt, (1) cauſas primitivas tollere. (2) genus nervoſum roborare. (3) actionem ſtomachi & inteſtinorum emendare. (4) ſymptomata levare. Quo fine plus proficere ſalubrem victus rationem, cum animi honeſta recreatione, & quotidiano corporis motu, & exercitatione idonea, nec non uſum tempeſtivum aquarum mineralium in potu & balneo, quam plauſtra medicamentorum officinalium, alma experientia fidem facit.

Maximi ad ſalutem momenti eſt, animum potenter erigere, & excitare, omnem curam & ſolicitudinem deponere, a morbi cogitatione mentem avertere, mœrori & triſtitiæ ſe fortiter opponere, ſpem melioris valetudinis amplecti, ſtudium literarum remittere, vel ad tempus ſuſpendere, a con-

tentione animi magna, & lucubratione abſtinere; quieti & ſomno locum dare, objecta meditationis variare, ſolitudinem abrumpere, & jucundo amicorum conſortio, & ſæpius Muſicæ vocalis, aut jnſtrumentalis oblectamento, vel alia ſuavi recreatione ſe refocillare.

Huic animi curæ, magnum ad ſalutem pondus addit, quotidiana corporis ante cibum exercitatio, quæ fit ambulatione, curſu, geſtatione, vectione, luſu, vel labore quodam honeſto, & amico; vel imprimis etiam equitatione quotidiana, in longum tempus proſequenda, quo ſolo auxilio gymnaſtico, poſt alia quævis incaſſum tentata, Venerabilem quendam ſacrorum Antiſtitem, jam pridem hypochondriaſi ad necem prope mulctatum, Deo dante, feliciter ex voto & ſententia convaluiſſe, graviſſimus auctor SYDENHAMUS commemorat. (q).

Huic curationi ſaluberrimæ plurimum addit efficaciæ, ſi accedat uſus aëris puri, ſereni, temperati, & æſtivo, aliove tempore idoneo, ruſticatio jucunda, campeſtris, vel montana, cum honeſta oblectatione, quod ſolum præſidium, in mòrbis contumacibus, & diuturnis, haud contemnendæ Medicinæ loco haberi meretur.

Victus in hypochondriaſi convenit moderatus, blandus, humectans, temperans, naturæ ægri & conſuetudini congruus; cibi euchyli, eupepti, ſtomacho amici, ſalubritatis probatæ, ſolito tempore ſumendi, nec majore copia, quam viſcera commode ferant. Nimis tamen ſcrupuloſe edulia eligere, aut repu-

(q) PRAX. *Med. Diſſ. epiſt. ad* GUIL. COLE, *edit. Lipſ.* 8. 1695. *p.* 522.

repudiare, non eſt neceſſe, quin præſtat aliquando, ſanorum regulam ſequi, & nullum cibi genus fugere, quo populus utatur. (r) In quo tamen fas eſt, ſuum quemque ſtomachum conſultorem non poſthabere. Nocent alimenta ſupra modum craſſa, pinguia, glutinoſa, tenacia, flatulenta, ſalſa, acria, eo nempe qualitatis exceſſu, cui vires naturæ non ſint ferendo. Juvat potus aquæ fontanæ ſimplicis, vel chalybeatæ, vel decocti dilutioris ex *radice Gramin.* & *Paſſul. min. mund.* cum pauxillo *Liquiritiæ*, *&* *Fœnic.* vel *Aniſi*, vel *flavedinis cort. Citri rec.* Præter aquam, in prandio & cœna, vini boni, veteris, temperati, hauſtus modicus ex uſu erit, ſi *Aqua mineralis Selterana*, quæ blandæ alcalinæ indolis eſt, vel æquipollens alia in promptu habeatur, cum ea vinum diluere inter paſtum, & ſic per totam æſtatem potare, ſalubris remedii loco cenſeri merebitur. Si vires valent, nec ſtomachi conditio, aut aliæ rationes diſſuadeant, vere ac autumno, locum habere poterit blanda ſeu moderata alvi purgatio, per II. III. IV. dies ſucceſſivos, cui ſcopo idoneum erit *Apozema laxativum* N°. 31. cujus doſin ad cujusvis ægri individualem diatheſin accommodare oportebit. Si cauſæ & notæ plenitudinis adſint N°. 79.) vel ita conſuetudo ferat, iisdem temporibus venam ſecare, & ſanguinis uncias VIII. X. plus minus detrahere, non alienum erit, idque vel ante, vel poſt alviductionem, interpoſito unius, vel plurium dierum ſpatio; in caſu retentionis hæmorrhoidum, in alterutro pede phlebotomiam inſtituere præſtabit.

(r) Celsus de *Med. L. I. C. I.*

Æſtivo tempore ad hujus morbi levamen, vel ſanationem, nihil aut ſalubrius, aut efficacius habetur, quam uſus aquæ cujusdam mineralis, ſeu thermalis, ſeu frigidæ, cum debito moderamine, & accurato regimine diætæ. Quod ut tempeſtive fiat, & majore cum fiducia, neceſſe eſt Medici prudentis ac periti conſilium implorare, qui habita ratione ægri, & loci, & temporis, nec non perſpecta & explorata fontium mineralium natura & indole, proprietate & viribus, quoad ſelectum habendum, & modum utendi, ſive internum, ſive externum, quam optime ad ſalutem conſulere noverit. Aquas autem minerales, in potione, vel etiam pro exigentia, in lotione, nervis & viſceribus amicas, atque humoribus diluendis, meatibus eluendis, obſtructionibus reſerandis, acrimoniæ leniendæ, vel exigendæ, potentiſſimum eſſe auxilium, ineffabile Dei omnipotentis munus, cuivis alii panaceæ anteferendum, omnium locorum experientia clamat. Ubi non ſuppetit copia aquarum mineralium, vernali, vel æſtivo tempore, ſalubrem effectum promittit *ſerum lactis recens*, mane & veſp. ad ℔j. ij. calide potum, per integrum menſem; aut jura medicata ex carne vitulina, vel gallinacea, cum *radicibus rec. cichor. gramin. herb. Taraxaci, & chærefol.* mane & veſp. ad ℔j. doſi matutinæ addendo *ſalis mirabilis Glauberi*, vel *Arcani dupl.* drachmam unam. In temperie calida & ſicca eodem modo valeret uſus *Decocti avenacei Loweri* N°. 55.

Qui alio quovis tempore, ſolis præſidiis diæteticis ſupra indicatis acquieſcere nolit, ei opportunus erit uſus *Apozematis cichoracei* N°. 56. alternis menſibus

ſibus iterandi; interponendo ſcil. *Elixir ſtomachicum Hoffm.* N°. 4. hora ante ſingulos paſtus, ad *drachmas II. IV.* cum aquæ vehiculo; vel *Tincturam Martis cum pomis Aurant. paratam.* DISPENS. Wirtemb. ad *unciam ſemis.*

In leviore morbi gradu, ejuſque principio, quandoque non tam vitiati humores, quam affectio ſpasmodica anomala peccare videtur, adeo ut malum fere ſine materia morbifica, in ſolo nervoſi generis motu turbato conſiſtere videatur. In hujusmodi caſu ad uſum *Corticis Peruviani*, aut *martialium*, ceu præſtantiſſima roborandis organis vitalibus remedia, confugere licet. Eligatur ergo Cortex recens, genuinus, optimæ notæ, ejuſque recens pulveriſati ſcrupulus, mane ac veſperi per integrum menſem, bihorio ante paſtum, cum vehiculo aquæ, aut vini aſſumatur. Vel ejus pulveris uncia cum Vini generoſi ℔ij. infundatur, hujuſque turbati unà cum pulvere mane ac veſp. uncia una capiatur. Limatura ferri, aut chalybis puriſſimi in ſubtilem pollinem redacta, ſimili ratione, vel alia quacumque forma in uſum trahi poteſt.

(a) Inter ſymptomata Mali hypochondriaci, interdum accidunt anxietates præcordiorum repentinæ, cum inſigni languore ac debilitate, & virium quaſi exſolutione, pallore vultus, extremorum frigore, animi metu & angore, palpitatione cordis, pectoris anguſtia, pulſu parvo & imbecilli, quandoque nauſea, vomitu, membrorum tremore, conjuncto, paroxyſmo ad plures horas, vel longius durante; interdum per intervalla recurrente. In hoc pathemate,

te, nervoſi & muſculoſi ſyſtematis pneumonici, cardiaci, gaſtrici, affectio ſpaſmodica ſubeſſe, & ab animi commotione, metu, terrore, ira, flatibus cumulatis, & retentis, ventriculi expanſione, vel coli, diaphragmatis compreſſione, &c. oriri videtur. In hoc caſu tanta eſt animi abjectio, ut certam quaſi mortem ſibi inſtare opinentur ægri, quæ tamen anxietas eruptione flatuum, aut vomitu, dejectione, diureſi, perſpiratione, citius vel tardius iterum ſolvitur, ac diſſipatur.

Urgente hoc pathemate, opus eſt animum ſolatio erigere, & in ſpem meliorem adducere; manus & pedes, vel etiam caput, nucham, ac ſpinam dorſi, calide fricare; naribus *acetum odoratum* N°. 1. vel *Aquam odoriferam* N°. 2. vel *ſpiritum meliſſæ Carmelit.* vel *Reginæ Hungar.* ſubjicere; eodemque verticem capitis, tempora, nucham, carpos manuum, ſcrobiculum cordis fricare, & huic porro fomentum calidum ſuperdare; alvum quoque *lotione calida emolliente* N°. 22. ſolvere, ſi nauſea & vomituritio adſit, aquæ ſimplicis tepidæ copiam propînare, donec vomitus ſequatur; Ceterum cardiaco vires excitare, & ſpiritus refocillare, cochleatim ingerendo *vinum pane toſto*, vel *corticibus citri*, vel *Cinamomo* imbutum, & ſaccharo ad gratiam edulcoratum; vel *aquam Cort. Aurant.* N°. 7. Jn caſu graviore adjiciendo *liquoris anodyni miner. Hoffm. guttas XXX.* vel tantumdem *ſalis volat. oleos.* aut *Liquoris C. C. ſuccinat.* Ut primum nonnihil remittit anxietas, ſorbitione ſive juſculo carneo, vel alio bono analeptico ſubvenire. Profligato autem paroxyſmo, ſi quid vitii in primis viis hæreat, *pulvere Rhabar-*

bari

bari N°. 25. vel alio blando carthartico alvum ducere; poſtea vero ad præcavendos alios inſultus, totam curationem huic morbo idoneam, & ſuperius exaratam, adhibere conveniet.

(b) Frequens eſt nonnullis hypochondriacis inſultus quidam vaporum, ut vocant, qui languore aliquo, friguſculo pedum, oſcitatione multa, pallore labiorum, pulſu debilitato, capite vertiginoſo, oculorum caligine, &c. ſe prodit, etiam ſpaſmodicis pathematibus connumerandus, ſponte ut plurimum & brevi ſpatio iterum evaneſcens, nihilque in receſſu periculi habens. Talem paroxyſmum citius depellit *Acetum Rutæ*, vel *odoratum* N°. I. vel *Spiritus aliquis aromaticus*, naribus ſubjectus, & temporibus, carpis, &c. affricatus; Item *Vini generoſi*, vel *aquæ Cort. Aurant.* vel *Menthæ*, vel *Meliſſæ* cum *vino paratæ* uncia ingeſta; vel *Elix. Propr. Parac. guttæ XXX.* cum vehiculo propinatæ. Ad Prophylaxin vero idoneus eſt uſus *Corticis Peruv.* vel *rad. Gentianæ*, infundendo ejus pulveris unciam cum *Vini generoſi libris II.* & hujus unciam quotidie ſemel aut bis ante paſtum adhibendo.

(c) Multum quoque moleſtiæ patiuntur Hypochondriaci a flatibus ſtomachi & inteſtinorum, alvique ſegnitie, vel obſtructione, cui vita multum ſedentaria, & concoctio ciborum lenta, occaſionem præbere ſolet. Huic incommodo opem ferunt *lotiones in alvum datæ*, ex *aqua ſimplici ſubcalida*, vel *mollientes* N°. 22. adjecta, ſi opus, ad majorem ſtimulum, *ſaponis optimi drachma*; dein motus & exercitatio

tatio corporis auctior; alimenta mollia, lubricantia, *vid. ſupra Part. I. §. 60.* minus tenacia, minuſque flatulenta; item uſus *Magneſiæ Rhabarbarinæ* N°. 57. vel *Liquoris Rhabarbarini* N°. 27.

MELANCHOLIA.

99. Inſaniæ genus, quo diu aliquis ſine febre deſipit, cum metu & triſtitia, ſolitudinis amore, humanæ conſuetudinis odio, vigilia multa, ſomno inquieto, lacrymis abſque cauſa crebris, nonnumquam cachinno effuſo interpolatis. Ideæ mentis ſemel conceptæ pertinaciter inhærent, vix unquam delebiles. Facies & oculi lugent, caput calet, extremitates algent.

„ Fuſcus ei color eſt, nigrâ qui bile redundat,
„ Corporis & gracilis totius & arida moles,
„ Horrid' aspectus, vaga mens, non garrula lingua,
„ Ingenium ſolers, & mœror acerbus, & horror
„ Exanguis, trepidusque, pavor qui nocte ſilenti
„ Sævior, exagitat pulla ſua imagine mentem.

FRANC. PORTI, *Decad. Med. I. C. IV.*

Malum ex atra bile naſci videtur, ſæpe mali hypochondriaci (97) ingraveſcentis eſt ſoboles. Aliàs citra hoc conſortium ingruit, ſicubi vel labes hæreditaria, vel animi pathemata graviora, terror aut metus intenſior, ex improviſo incuſſus, curæ enormes, deſiderium vehemens rei non impetrabilis, dolor

lor ex dispendio, vel jactura insigni cor premens, &c.

Melancholia contumax, diuturna, & ægre curabilis est. Pejor quæ ex labe hæreditaria, aut ex animi perturbatione, quam ex vitio corporis genita. Levior, quæ tantum imaginibus fallit, non autem consilio. Recens aliquam curationis spem relinquit, radicata & veterascens vix ullam. Eruptio sanguinis tempestiva, per nares, per hæmorrhoides, aut aliam viam, bono est; item varices, scabies, ulcera crurum, febris quartana, vomitus, aut alvi fluxus criticus, ut quorumdam exemplo compertum est.

100. Medendi scopus est: 1) Originem & caussam primordialem tollere. 2) Atram bilem corrigere, & secundum naturæ ductum eliminare. 3) Symptomata lenire. Eadem hic ratio victus, & auxilia quævis, ut in *malo hypochondriaco* §. 98. locum habent. Cumprimis ad protopathejam respici debet, quæ si ab animi ægritudine cœpit, huic præcipuam curam adhibere oportet; sin secus vitium corporis primitivum antecesserit, huic debellando magis opera danda est. In priore casu, quævis consilia tam moralia, quam physica tentare convenit, quæ animum sanare queant. „ Ex CELSI placito: „ removendi terrores, & potius bona spes afferen„ da; quærenda delectatio ex fabulis, ludisque, „ quibus maxime capi sanus assueverat; laudanda, „ si qua sunt, ipsius opera, & ante oculos ejus po„ nenda; leviter objurganda vana tristitia; subinde „ admonendus, in his ipsis rebus, quæ solicitant,

„ cur non potius lætitiæ, quam ſolicitudinis cauſa
„ ſit; cui porro placet: non oportere eſſe vel ſolos,
„ vel inter ignotos, vel inter eos, quos aut contem-
„ nunt, aut negligunt; item mutare debere regio-
„ nes, &, ſi mens redit, annua peregrinatione eſſe
„ jactandos; item vehementer exerceri debere, mul-
„ taque frictione uti. (s) Nec alienum erit, quid Muſica ſeu vocalis, ſeu inſtrumentalis poſſit, ad imaginationem erroneam, ad metum, & triſtitiam diſcutiendam, & alias ideas in mente excitandas, omni ratione & modo experiri.

Si vero prævium corporis vitium in culpa eſt, atrabilaria nempe humorum intemperies, huic emendandæ, & debellandæ, quævis auxilia ex quolibet medendi fonte attemperanda veniunt: ratio victus tota, ut §. 98.) idemque de miſſione ſanguinis conſilium; nec non eadem ex fonte pharmaceutico auxilia; præſertim uſus aquarum mineralium, in potu & balneo.

COLICA.

101. Doloris tormentum, quo inteſtina crucientur, cujus ut variæ cauſæ, ſic genera ſunt: colica flatulenta, bilioſa, hæmorrhoidalis, nephritica, verminoſa, ſaturnina, convulſiva; jnterdum hypochondriacæ affectionis eſt ſoboles, a vitiata coctione, a cruditate, a flatibus, a bile, a ſucco pancreatico,
„ & enterico depravato oriunda. Jmmaniſſimi do-
„ loris tormento jnteſtinum affligitur, ut terebello
„ etiam

(s) *De Medic. L. III. C.* 18.

„ etiam pertundi videatur, ac pœne ſpiritum elide-
„ re; nunc uno in loco ſtabilis, alte excrucians,
„ quem neque flatus, neque ructus lenit; nunc va-
„ gus & inſtabilis, magnam occupans ventris par-
„ tem, modo dextram, modo ſiniſtram, utique ſi
„ a flatibus eſſe morbus cœpit, qui ſæpe intus quo-
„ dam veluti rugitu obmurmurant, arcteque con-
„ cluſi neque ore, neque alvo erumpunt. Alvus
„ plerumque ſic impedita eſt, ut nihil infra, ac ne
„ flatus quidem prodeat; ac ſi quid vel ſponte, vel
„ arte redditur, id ſiccum eſſe inſtar ovilli ſtercoris
„ ſolet. (t). Malum per intervalla remittit, ac de-
nuo exacerbatur. Aliquando periodicum ſuos habet circuitus, Pro diverſo gradu, & cauſarum conditione, plus minus diſcriminis habet. Salutis ſpem facit, alvum obſequioſam fieri, dolorem mutari, & longius intermittere, a ſtercore reddito, aut flatu emiſſo, ægrum levari, ventrem minus tenſum eſſe, ſiti vacare, reſpirationem & pulſum bene habere, mictionem liberam eſſe, manus ac pedes calorem recipere, vomitum, ſi quis anteceſſit, ceſſare, ſomnum & quietem redire. Colica gravior & obſtinata, qualis eſt Pictonum, & ſaturnina, ſpaſmodica, tandem ſe recipiens pareſin manuum poſt ſe relin-
„ quit. Sæpe coli dolor, in reſolutionem nervo-
„ rum, vel in morbum, tum articularem, tum co-
„ mitialem, vel in hydropem tranſiit; interdum
„ etiam in volvulum abit, idque intra primum
„ diem. (u)

102. Ad

(t) LOMMIUS *Obſerv. Med. edit. Antverp.* 1560. 8. p. 65.
(u) LOMM. *l. c.*

102. Ad Sanationis scopum, necesse est mali originem & causam indagare, eique auxilia accommodare, videlicet (1) Vitium intestina occupans debellare, & (2) Dolores & spasmos atroces sedare. Juvat animus pacatus, & perturbationis expers, aer temperatus, vel moderate calidus; abstinentia ab omni cibo solido, & quavis acrimonia calefaciente; juscula, sive sorbitiones blandæ, ex carne vitulina, bubula, gallinacea paratæ dilutiores, cum incoctione *rad. rec. Scorzoneræ*, *herbæ Endiv. Lactuc. Chærefol.* quovis trihorio calide sumendæ ad plures uncias; vel *sorbitiones tenues hordeaceæ*, *avenaceæ*, &c. potus aquæ font. tepidæ, simplicis; vel decocti *rad. Graminis*, cum *passul. min. mund.* ac pauxillo *Liquiritiæ*; vel *seri lactis rec.* quies in lecto tepido, molli; Alvus solvatur protinus *lotione molliente* N°. 22. sexta quaque hora repetenda, posterioribus, si opus videatur, addendo stimulum ex *Mellis mercurialis* ℥j. & *salis Gemmæ* ʒj. vel *saponis venet.* ʒj.

Nisi plethora, vel hæmorrhoidum retentio, vel febris, aut inflammationis metus adsit, nihil opus erit venæsectione. Ex fonte autem officinali calide propinetur *apozema laxativum Mannatum* N°. 31, ad *uncias IV.* subjungendo per intervalla aliquot horarum *duas uncias*, donec alvus satis expedita videatur, interponendo juscula modo dicta, & subinde etiam unciam *Olei Amygd. dulc. rec.* cum pari portione *Mannæ liquidæ* commixti. Finito apozemate mannato, juxta usum ulteriorem *Olei Amygd.* juvabit *Decoctum molliens*, *aperiens* N°. 58. ad uncias IV. quovis trihorio calide hauriendum; vel *SERUM lactis medicatum* N°. 59.

Quoad

Quoad externa, prodeſt frictio calida, ſicca, artuum ſuperiorum & inferiorum; ventris inunctio calida cum *Oleo abſinth. Aneth. chamom. Menth. ſambuc. Papav. alb.* ſæpius iteranda; fotus paregoricus ex *Lacte & aqua*, vel *oleo* veſicâ excepto, calide impoſitus; vel ex decocto *herb. abſinth. Abrot. Menth. Ruth. flor. chamom. Malv. Malilot. ſambuci* unà cum capitibus *Papav. alb.* cui pannus laneus immerſus, & expreſſus, calide toti abdomini applicetur, renovando in ſingulas horas, vel quoties refrixerit; vel *Cataplaſma* ejuſdem virtutis; vel animal junius vivum, vel medio-ſectum cruentum calens ſuperdetur; vel balneum vaporis, aut immerſionis paregoricum aqueo-lacteum.

„ Qua parte dolet venter, cucurbitulas ſine ferro
„ defigere, CELSI conſilium eſt. (x) JAPANENSES
„ plantas pedum ferro candente, vel abdomen im-
„ poſita moxa adurunt, & colicæ dolorem levant. (y)

Si doloris ſævitia urgeat, pro ſedativo erit *Liquor anodynus miner. Hoffm.* cujus doſis & repetitio, conſilio & prudentiæ Medici utique committi debet, ne intempeſtive, aut perperam aliquid agatur. Si tanta ſit alvi obſtructio, ut cæteris omnibus auxiliis nihil cedat, non alienum erit, tentare *fumum Nicotianæ*, per fiſtulam idoneam, recto inteſtino immittendum; aut enemata valentiore alio ſtimulo circumſpecte tamen acuere.

Superato tandem præſenti morbo, ad prophylaxin pertinebit, totam victus rationem, a parte animi & corporis, ita inſtituere, ut quibuslibet cau-

ſis

(x) *Lib. IV. C.* 14. (y) PLATNER. *art. med.* §. 117.

ſis recidivam minantibus ſit oppoſita, cum maxime illi individuali cauſæ, quæ in dato ſubjecto originem malo dediſſe videatur. Quocirca uſus *enematum ſimplicium*, & ſuo tempore *jura medicata*, *ſerum Lactis ſimplex*, vel *medicatum*, *ſerum lactis dulce*, & cumprimis *Aquæ thermales* & *minerales*, in potu & balneo, ſi pro indicantium ratione, cum dexteritate ſuſcipiatur, ſalutarem Deo benedicente opem pollicentur.

„ Pharmaca componas diverſa, dolentibus uno
„ Vulnere: mille dolos unica febris habet.
„ Sæpe aliquid latitat tenebroſo in corpore, quod te
„ Vertere cuncta tuæ ſpicula coget opis.
„ Hinc neque præſentis tantum primordia morbi,
„ Hiſtoriam ægroti fata viceſque ſcias.

HEERKENS *p.* 28.

„ Jura miniſtrabis & idonea pharmaca dentur,
„ Lætaque quæ recreent corpora feſſa refer.

IDEM *pag.* 18.

ELENCHUS MEDICAMENTORUM.

REMEDIA QUÆDAM OFFICINALIA in promtu habenda.

N°. 1. ACETUM ODORATUM. ℞. Flor. Anthos, cheiri, Lavend. Lil. conv. Roſar. r. ſalv. ana unciam ſemis. Caryoph. ar. Cynam. acut. Lign. Rhod. Cort. rec. Citr. ana drachmas II. miſc. inciſ. & contus. affund. aceti vini opt. libras II. Diger. per dies VI. tunc colatura in vitro ad uſum reponatur.

„ Vires

„ Vires habet nervos roborandi, ſpiritus reficien-
„ di, ſenſus excitandi, uſu externo venit, ad nares,
„ ad verticem capitis, ad tempora, carpos manuum,
„ ſcrobiculum cordis, in forma epithematis, aut ſal-
„ tem naribus ſubjiciendo, irrorando, affricando.
„ Interdum ſpirituoſis præſtat. Prodeſt in debili-
„ tate, lipothymia, oſcitatione, vertigine, affectu
„ hyſterico, &c.

N°. 2. AQUA ODORIFERA. ℞. Rad. Angelic. Iridh. flor. Hb. Baſilic. Majoran. Meliſs. Serpilli, Fl. Anth. Aurant. Jaſmin. Lavand. Lil. conv. Roſar. ana unc. ſemis. Caryoph. ar. Cinam. acut. Cort. rec. Citr. Lign. Rhod. ana unciam I. Inciſ. & contuſ. miſc. affund. Spir. Vini rectif. libras IV. & aqu. font. lib. II. & poſt digeſt. dierum IV. aut VI. l. a. deſtill. ad libras IV. uſui reponendas.

„ Vires reficit, caput, cerebrum, nervos robo-
„ rat, ſenſus excitat, organum olfactus ſuaveolen-
„ tia permulcet, cor exhilarat. Externe naribus ad-
„ movetur, vertici capitis, nuchæ, temporibus,
„ carpis manuum affricatur. Scrobiculo cordis cum
„ lanea tela inſtar epithematis calide applicatur. Pro-
„ deſt in virium languore, deliquio animi, vertigi-
„ ne, terrore, nauſea, horrore, affectu vaporoſo,
„ comate, lethargo, hemiplegia, apoplexia, &c. fri-
„ gidis. Etiam interne ad drachmam I. II. cum vehi-
„ culo aquæ dari poteſt, in graviore debilitatis caſu.

3. AQUA VITÆ. ℞. Pomi Citri rec. opt. N°. I. conciſ. affund. Spir. Vin. vel Ceraſ. opt. lib. II. diger. per ♂♀. tunc colat. add; Aqu. flor. Acac. libr. I. jul. Roſar. uncias IV. Tingatur Eſſentiæ Croci pauxillo, & uſui ſervetur.

„ Suave

„ Suave cardiacum vires refocillat, ſtomachum
„ roborat, cerebrum recreat, cor excitat, &c. cum
„ moderamine ſumptum. Doſis uncia ſemis, vel in-
„ tegra. In languore virium, animi defectione, ver-
„ tigine ſtomachica, nauſea, vomitu, terrore, metu,
„ triſtitia, frigore, &c.

4. ELIXIR BALSAMICUM STOMACHICUM TEMPERATUM HOFFM. ℞. Extr. Abſinth. Card. ben. Cent. min. Gentianæ, ana unciam I. Flaved. Cort. aurant. amaror. ab omni albedine mundat. uncias IV. inc. affund. Vini Hungar. vel alius generoſi opt. libras II. Spir. cort. aurant. rectif. uncias II, Diger. per triduum, tunc filtrata ad uſum reponantur.

„ Stomachum & viſcera roborat, appetitum au-
„ get, concoctionem juvat, flatus diſſipat. Doſis
„ drachma I. II. mane ac veſperi ante paſtum, per
„ ſe, vel cum vehiculo aquæ, aut vini. In anore-
„ xia, nauſea, vomitu, cruditate, dyſpepſia, flatu-
„ lentia, cachexia, & variis morbis chronicis.

5. ELIXIR AMARUM PRÆSERVATIVUM. ℞. Rad. Cichor. Enulæ, Gentian. Rhabarb. ver. el. ana unciam ſemis. Hb. card. b. Centaur. min. aa manip. I. Flaved. rec. Cort. Aurant. Sem. Fœnic. Myrrh. el. Aloës Socotr. aa drachm. II. Inc. & cont. m. affund. Spiritus Vin. opt. libras IV. Diger. per dies VIII. tunc filtrat. liquor uſui ſervetur.

„ Viſcera firmat, appetitum ciet, concoctionem
„ promovet, flatus pellit, vermes fugat; cruditates
„ corrigit, alvum ſolvit; Doſis ℥ij. per ſe, vel cum
„ aquæ vehiculo, in anorexia, dyſpepſia, crudita-
„ te, flatibus, nauſea, vomitu, colica frigida, ca-

„ chexia,

„ chexia, ictero, frigore & horrore, terrore, ani-
„ mi deliquio, &c.

6. VINUM ENULATUM. ℞. Rad. Enulæ elect. libram I. Paſſul. maj. exac. libras II. Sacch. opt. libras IV. miſc. inciſ. affund. in doliolo vini alb. vet. opt. menſ. XXX. ſive libras CXX. & uſui in cella ſervetur.

„ Alit, roborat, attenuat, aperit, pectori & ſto-
„ macho amicum eſt. Doſis unciæ III. inter pa-
„ ſtum; in anorexia, dyſpepſia, cacochylia, flatu-
„ lentia, aſthmate pituitoſo, catarrho frigido, &c.

7. AQUA CORTICUM AURANTIORUM. ℞. Cort. Aurant. rec. uncias VI. Concis. affund. Vini albi vet. opt. libras VI. poſt horas XII. l. a. deſtill. ad libras III. add. Sacchari albi q. ſ. ad gratiam, & uſui ſervetur.

„ Stomachica, cardiaca, carminativa eſt; doſis
„ ℥ß. vel integra. In languore ſtomachi, inappe-
„ tentia, flatibus, oſcitatione, vaporibus, &c.

8. TINCTURA RHABARBARI. ℞. Rhabarb. veri electiſſ. unciam I. Sal. Tartari drachmas II. Aquæ Cichor. uncias VIII. Cinamom. c. vin. uncias IV. Miſc. diger. per ♂♀. tunc filtratus liquor uſui ſervetur.

„ Stomachum roborat, appetitum movet, bilem
„ corrigit, acidum emendat, flatus pellit, alvum
„ leniter ſolvit, lumbricos fugat, urinam ciet, pu-
„ tredini reſiſtit. Doſis drachma I. IV. pluresve,
„ per ſe, vel cum vehiculo aquoſo, mane jejuno
„ ſtomacho, vel horæ ſpatio ante prandium, & cœ-

 „ nam.

„ nam. Valet in anorexia, cruditate, nauſea, vo-
„ mitu, alvi obſtructione, malo hypochondriaco,
„ ictero, colica, nephritide, arthritide; poſt iram,
„ terrorem, &c.

9. BALSAMUM VITÆ.

℞. Olei deſt. Caryoph. arom. Cinamom. de Cedr. Lign. Rhodii, Lavendul. Majoran. ana ſcrupul. I. Balſam. Peruv. drachm. ß. Ambræ gryſ. grana VI. Spiritus Anthos rectificatiſſimi uncias VI. ex florib. Anthos recentibus, cum Spirit. Vini gall. optimi, paretur Spiritus aromatic. rectificatiſſimus, qui oleis deſtillatis, cum Balſamo peruviano & Ambra diligenter ſubactis affuſus, digeratur per dies VI. in vaſe optime clauſo, tunc liquor filtratus uſui ſervetur.

„ Eſt egregium nervinum, cephalicum, cardia-
„ cum, ſtomachicum, &c. Interne in affectibus ſo-
„ poroſis, ventriculi & inteſtinorum, a notabili par-
„ tium ſolidarum atonia, in ſubjectis frigidis, hu-
„ midis, ſenibusque ad aliquot guttulas adhibetur,
„ ſaccharo inſtillat. vel in vehiculo. Externe vero
„ excitandi, diſcutiendi, & roborandi ſcopo, nari-
„ bus, auribus, vertici, nuchæ, pulſibus appli-
„ catur.

10. SPECIES PRO POTU. ℞. Rad. Gramin. ℥vj. Glycirrhyz. unc. I. Sem. Anis. Fœnic. Raſ. C. C. Ebor. aa drachm. II. Paſſul. min. mund. unc. IV. inc. m. ſerventur in ſcatulâ. Drachma I. vel II. ebulliant cum Aquæ font. libris IV. per unius, vel alterius minuti ſpatium, colatura in uſum cedat, pro potu ordinario, per ſe, vel cum vino miſta. ad hu-

mectan-

mectandum, diluendum, leniendum, ſanis & ægris conducibilis.

11. THEA COMPOSITA. ℞. Herb. Agrim. Betonic. Capill. ♀. Veronic. ana uncias III. Flor. Bellid. min. Betonic. Borrag. Primulver. Scabios. Violar. ana uncias II. Inc. miſc. & uſui ſerventur in ſcatula.

„ Pugillus drachmæ I. vel II. infundatur cum
„ aquæ font. bullientis libra I. per $\frac{1}{4}$. horæ, tunc
„ ſaccharo, vel Syrupo Capillorum edulcorat. cali-
„ de ſorbilletur, mane aut veſperi. Vires habet at-
„ tenuandi, reſolvendi, aperiendi, ſe- & excretio-
„ nes promovendi, corrigendi; Valet in humorum
„ lentore, viſcoſitate, acrimonia, putredine; in
„ morbis catarrhalibus, cephalalgia, gravedine, co-
„ ryza, brancho, tuſſi, aſthmate; in doloribus
„ rheumaticis, arthriticis, nephriticis; in morbis
„ lentis, hecticis, phthiſicis, &c.

12. SPECIES PECTORALES. ℞. Rad. Alth. Liquirit. Hb. Capillor. Bellid. cum flor. Flor. Farfar. Primulver. Scabios. Verbaſc. Caricar. pingu. Dactylor. Jujubar. Paſſul. maj. exac. ana uncias II. Inc. ms. ſerventur. in ſcatula. Unciæ quatuor coquantur cum aquæ font. ℔VI. per minuta octo; colaturæ unciæ IV. ſumantur calide ſexta quavis hora. Interdum lactis vaccini pars additur, vel etiam aliquid ſacchari, pro exigentia morbi, & ægroti.

„ Vires ſunt lenientes, lubricantes, abſtergentes,
„ demulcentes, pectorales, becchicæ. Proſunt in
„ morbis catarrhalibus, brancho, tuſſi, aſthmate,

„ pleuritide, peripneumonia, phthisi, hæmopty-
„ si, &c.

13. SPECIES LAXATIVÆ. ℞. Fol. Senn. mund. unc. II. Rad. Liquirit. unciam semis. Sem. Coriandr. Fœnic. ana drachm. II. Cremor. Tartari unc. I. Passul. min. mund. uncias IV. Mannæ Calabr. el. unc. VIII. inc. misc. serventur in Scatula.

„ Unciæ II. per noctem infundantur in aqu. font.
„ unciis VI. calide, postridie ebull. leviter, & Co-
„ latura pro dosi hauriatur mane calide, subjungen-
„ do jusculum dilutum in singulas horas. Alvum
„ blande subducit, multoties. Prodest in multis
„ morbis, pro ratione indicantium, in cruditate,
„ colluvie morbosa varia primarum viarum, malo
„ hypochondriaco, melancholia, colica, febri-
„ bus, &c.

14. PILULÆ PURGANTES. ℞. Aloës socotrin. depurat. l. a. unciam I. Gumm. Ammon. depur. Tart. ⊖lat. ana unc. semis. ol. dest. Macis guttas X. misc. fiant l. a. Pilulæ gran. IV. inaur. serventur ad usum.

„ Attenuant, resolvunt, alvum purgant, serum,
„ pituitam, bilem subducunt, utiles pro ratione in-
„ dicantium, in cacochylia, cachexia, hypochon-
„ driasi, melancholia, morbis catarrhalibus, &c.
„ Nocent hæmorrhoidariis, hæmoptoicis, cholericis,
„ febricitantibus. Pro dosi sumantur tres vesperi,
„ & septem postridie mane, minuendo, vel augen-
„ do, numerum; pro ratione subjecti.

15. PULVIS ABSORBENS. ℞. Corn. C. ust.

Corall.

Corall. rubr. ppt. Lap. Cancror. ppt. Matr. Perl. ppt. ana unc. I. Elæoſacch. Cort. Citr. rec. unciam ſemis. m. f. Pulv. ſubtil. ſervetur in ſcatul.

„ Acidum abſorbet, acrimoniam obtundit; doſis
„ drachma ſemis, vel integra, per ſe, vel cum
„ vehiculo aquæ ſimplicis; in morbis ab acido, vel
„ acri oriundis; ardore ſtomachi, ſive ſoda, crudi-
„ tate acida, ſcorbuto acido, &c.

16. PULVIS TEMPERANS. ℞. Corall. rubr. ppt. Lapid. Cancr. ppt. Matr. Perl. ppt. Terræ Sigill. ana unc. I. Tartari ⊕lat. unc. III. Nitr. depur. unc. I. Coccinellæ drachm. I. Miſc. fiat Pulv. ſubt. in ſcatula ſervandus.

„ Calorem temperat, refrigerat, acrimoniam le-
„ nit, viſcoſa reſolvit, ſecretiones & excretiones
„ promovet. Datur ad drachmam ſemis, mane ac
„ veſperi, cum vehiculo aquoſo, in æſtu febrili,
„ ſiti urgente, acrimonia bilioſa, putredinoſa; fe-
„ bribus continuis, & intermittentibus, doloribus
„ ſpaſmodicis, rheumaticis, arthriticis.

17. PULVIS SOLUTIVUS. ℞. Fol. Senn. elect. mund. Crem. Tartari ana unc. I. ſem. Aniſi, Fœnicul. ana drachm. I. Sacch. cand. alb. unc. II. Miſc. fiat Pulv. ſubt. in ſcatula ſervandus.

„ Alvum leniter ſolvit, flatus pellit, cruditates,
„ bilem, pituitam ſubducit. Doſis Drachma I. ho-
„ ræ ſpatio ante prandium & cœnam. Prodeſt in
„ alvi ſegnitie, obſtructione, cacochylia, lumbri-
„ cis, &c.

18. PULVIS STOMACHICUS. ℞. C. C. uſt. unciam I. Cinam. acut. unc. ſemis. Aniſi, Fœnic. aa drachm. I. Caryoph. arom. Macis, Nuc. moſch. Zingib. ana drachm. ſemis. Sacch. cand. alb. uncias X. Miſc. fiat Pulvis, in ſcatula ſervandus.

„ Stomachum roborat, appetitum acuit, digeſtio-
„ nem juvat, pituitam corrigit, flatus diſſipat, ca-
„ lefacit. Doſis una drachma, vel II. ſemel aut bis
„ quotidie, per ſe, vel cum vehiculo aquoſo; in
„ languore ſtomachi frigido, cruditate glutinoſa,
„ acida, flatulenta.

19. SAL LAXATIVUM. ℞. Sal. Sedlicenſ. ℔ I. ſervetur in Vitro.

„ Attenuat, reſolvit, aperit, urinam ciet, &c.
„ In majore doſi alvum laxat. Priore ſcopo datur
„ ad drachm. I. cum vehiculo aquoſo: poſteriore
„ ad unciam I. cum aqua ſimplici, vel juſculo te-
„ nui, vel Infuſo Theæ. Prodeſt in vario morbo-
„ rum caſu; item ante & poſt uſum aquarum mi-
„ neralium, &c.

20. LIQUOR SEDATIVUS. ℞. Liqu. anodyni miner. H. Laud. liquidi Sydenh. aa drachm. II. Miſc. d. in Vitro probe munito.

„ Vires habet leniendi, ſopiendi, ſomnum ciendi.
„ Doſis guttæ XXX. cum vehiculo aquæ font.
„ ſimpl. hora ſomni, vel quavis alia, in caſu dolo-
„ ris urgentiſſimi. In cardialgia, colica, cephalalgia,
„ hemicrania, otalgia, odontalgia, &c. Nocet in
„ plethora, inflammatione, fluxu critico &c.

21. REMEDIA MAGISTRALIA ex tempore pa-

randa.

randa. ℞. Eſſent. Abſinth. compoſ. unc. I. Detur. in Vitr.

„ Doſis mane ac veſperi ad gutt. XL. cum vehiculo aquoſo.

22. CLYSMA EMOLLIENS. ℞. Herb. Alth. Malv. ana manip. I. inc. miſc. ebull. cum Aqu. font. ℔j. Colat. add: olei oliv. rec. unc. II. Mellis opt. unc. I. miſc. fiat Clyſter pro una vice.

23. ALIUD EUPORISTON. ℞. Furfurum unciam I. Ebull. cum aqu. font. lib. I. Colat. add: ol. oliv. rec. unc. II. Mellis opt. unc. I. Miſc. fiat Clyſter.

24. POTIO LAXATIVA. ℞. Fol. ſenn. ſ. ſt. drachm. II. Paſſul. min. mund. unc. ſemis, Crem. Tart. drachm. I. Liquirit. drach. ſemis, Coriandr. Fœnic. ana gr. XV. inc. miſc. infund. per noctem in aqu. font. unciis VI. poſtridie mane ebulliant leviter; in Colat. diſſolvatur Mann. Cal. elect. unc. I. Colat. add: aqu. Cinam. c. v. drachm. I. miſc. detur pro uno hauſtu calide ſumendo.

25. PULVIS RHABARBARINUS. ℞. Rhab. ver. el. drachm. I. Sal Sedlicenſ. drachm. IV. M. f. pulv. ſ. d. in ch. pro una doſi, cum aqua ſimpl. vel juſculo tenui, vel Infuſo Theæ, vel decocto diluto gran. Coffeæ, ſumenda.

26. INFUSUM AMARUM. ℞. Rad. Gentian. Cichor. ana unc. ſemis. Hb. Card. ben. abſinth. Cent. min. Chamædr. ana manip. I. inc. miſc. infund. cum aqu. bullientis libris VI. ut mane ac veſp. unciæ IIII. ſubcalide bibantur.

27. Liquor terræ fol. cum RHABARBARO. ℞. Liqu. terræ fol. Tart. Tinct. Rhab. ana unc. I. Misc. detur in Vitr. ut mane ac vesp. drachma I. vel II. sumantur cum vehiculo aquoso.

28. DECOCTUM CICHORACEUM. ℞. Radic. Cichor. Passul. min. mund. ana unc. II. Nitri dep. drachm. I. Inc. misc. ebulliant cum aqu. font. libr. IV. per 8 minuta, Colaturæ sumantur mane ac vesperi unciæ IV. calidè.

29. POTIO LAXATIVA TAMARINDINATA. ℞. Tamarind. unc. I. Passul. min. mund. unc. semis, Fol. Senn. mund. drach. II. sem. Fœnic. drachm. semis, Crem. Tartari drachm. I. misc. incisa ebull. cum aqu. font. q. s. Colat. unc. IV. add: Syr. Rosar. sol. simpl. unc. I. aqu. cardiac. off. drachm. I. misc. detur ad Vitr. pro uno haustu calide propinando.

30. DECOCTUM TAMARINDINATUM. ℞. Tamarind. unc. IV. Coccionell. drachm. semis; Ebull. cum aqu. font. lib. IV. Colaturæ mane ac vesp. unciæ VI. ad X. tepide hauriantur.

31. APOZEMA LAXATIVUM. ℞. Rad. Cichor. unc. semis, Passul. min. mund. unc. I. inc. misc. ebull. cum Aqu. font. q. s. sub finem add: Rhab. ver. elect. drachm. II. Fol. senn. mund. drachm. VI. Liquirit. Foenic. ana. drachm. I. sal. Ebson. unc. semis. in Colat. lib. II. dissolv. Mann. cal. el. unc. IV. Colatura d. ad Vitr. sumantur mane unciæ IV. calide, & si alvum non moveant, post horas III. subjungantur adhuc unciæ II. interponendo juscula carnea diluta.

32.

32. SERUM LACTIS TAMARINDINATUM. ℞. Tamarind. unc. II. Ebull. cum ſeri lact. libr. IV. Colaturæ ſumantur mane ac v. unciæ XII. calide, minuendo doſim, ſi alvus nimium fluxa reddatur.

33. HAUSTUS LAXATIVUS MANNATUS. ℞. Mann. Cal. el. unc. II. ſolut. in Aqu. font. q. ſ. & Colat. add. ſal. ſedlicens. unc. ſemis, Aqu. Card. offic. drachm. II. miſc. detur ad Vitr. pro uno hauſtu calido.

34. TINCTURA FL. MALVÆ. ℞. Flor. Malvæ hort. nigr. Manip. II. cum Aqu. font. libr. I. fiat tinctura, Colat. add. julep. Viol. unc. unam & ſemis. Nitr. depur. gr. X. Miſc. dr. ad Vitr. ſumantur unciæ III. quolibet trihorio.

35. EMULSIO TEMPERANS. ℞. Sem. 4. frig. maj. unc. I. Papav. alb. unc. ſemis, miſc. cum Aqu. Lactuc. libr. I. f. l. a. Emuls. Colatur. add. jul. Viol. unc. iß. Lap. Cancr. ppt. drachm. I. Nitr. depur. gr. X. Miſc. d. ad Vitr. Sumantur unciæ III. quolibet trihorio.

36. CLYSMA DEMULCENS. ℞. Aquæ font. Lact. vaccin. ana unc. VI. ol. Papav. alb. unc. I. Vitell. ovor. No. I. miſc. f. Enema tepide adhibendum.

37. CLYSMA ANODYNUM. ℞. Capit. Papav. alb. ℥ij. Spec. Emoll. mij. cum aqu. & Lactis vaccin. ana ebull. Colat. unc. X. add. Vitell. ov. N°. I. Miſc. f. Enema tepide applicandum.

38. PULVIS DEMULCENS. ℞. Gumm. Arab. Tragac. ana drachm. I. Lap. Cancr. ppt. drachm. II. Sacch. cand. alb. unc. ß. Misc. f. Pulv. f. d. in scat. ut sexta quavis hora dr. I. sumatur.

39. EMULSIO REFRIGERANS. ℞. Sem. 4. frig. maj. unc. I. Papav. alb. Amygd. dulc. rec. exc. ana unc. ß. Misc. cum Aquæ font. vel Plantag. vel Nymph. vel Decocti Hordei unciis XVI. fiat l. a. Emuls. Colat. add. syr. Pap. alb. unc. I. Corn. Cerv. ust. drachm. I. Nitr. depur. drachm. ß. misce detur ad Vitr. sumantur unciæ II. quolibet bihorio.

40. IULAPIUM REFRIGERANS. ℞. Decocti Hordei lib. II. syrup. Berber. unc. II. Papav. alb. unc. I. Spir. ⊖li q. s. ad grat. ac. misc. D. ad Vitr. Sumantur unciæ tres quolibet trihorio.

41. CARDIACUM DOMESTICUM. ℞. Pan. alb. tost. unc. II. affund. Aqu. font. bullientis unc. VI. & Vini albi vet. frigidi tantumdem, vel pro lubitu, sacchari albi q. s. ad gratiam. Sumatur cochleatim.

42. INFUSUM MOLLIENS, LUBRICANS. ℞. Rad. Alth. Liquir. ana unc. semis. Flor. Papav. rh. Primul. Ver. Verbasc. viol. ana manip. I. inc. misc. d. in ch. Pugillus infundatur cum Aquæ unciis IIX. per horæ $\frac{1}{4}$. tunc calide sorbeatur, adjecto lacte, & sacch. qu. placet. Iterando aliquoties per diem.

43.

43. APOZEMA SIMILE. ℞. Specier. pectoral. N°. 12. unc. IV. Ebull. cum Aqu. font. lib. VI. per minuta VIII. Colaturæ ſumantur calide unciæ IV. quolibet intervallo ſex horarum, vel ſæpius minore doſi, adjecto lacte, & ſacchari qu. placet.

44. SYRUPUS CUM OLEO. ℞. Syrup. Pap. rh. ol. Amygd. dulc. rec. ana unc. II. Miſc. detur in Vitro. Cochleare plenum ſingulis, vel alternis horis lente per gulam deglutiatur.

45. LINCTUS lubricans. ℞. Olei Amygdal. dulc. rec. unc. II. Sperm. cet. rec. drachm. II. Syrupi Papav. rh. unc. I.ß. m. f. Eclegma, d. ad fict. Sumatur omni bihorio uncia ß. lente delingendo.

46. ALIUS. ℞. Mucilag. Fragacanth. vel Sem. cydon. unc. II. Syr. Viol. unc. I. ms. detur ad fict. Delingatur ſingulis horis cum baculo Liquiritiæ uncia Semis.

47. GARGARISMA MOLLIENS, LUBRICANS. ℞. Herb. Alth. Malv. Flor. Pap. rh. Verbaſc. ana manip. ß Caricar. N°. VIII. Croci opt. gr. XX. inc. miſc. ebull. cum Aqu. lib. I. Colaturæ add. Syr. Pap. rh. unc. I. Eoque ſingulis horis colluatur os, & fauces, vel cum ſiphone injiciatur calide. Adjecto Lacte magis molliens erit.

48. DECOCTUM EMOLLIENS. ℞. Herb. Alth. Malv. Flor. Malv. Verbaſc. Chamom. ana M. I. Sem. Lini rec. drachm. IV. inc. miſc. ebulliant cum Aquæ font. libris IV. per minuta X.

49. CATAPLASMA MOLLIENS. ℞. Rad. Lilior. alb. Alth. ana unc. I. Hb. Alth. malv. Fl. Chamom. Verbaſc. ana man. II. Farin. ſem. Lin. unc. II. miſc. f. pulv. groſſ. & cum Aquæ & lact. ana q. ſ. coqu. ad conſiſt. pultis, cujus portio linteo intercapta calide ſuperdetur, renovando quovis trihorio, vel pro exigentia.

50. SORBITIO EUPORISTA MOLLIENS, anticatarrhalis. ℞. Furfur. tritic. unc. I. ſacch. cd. alb. unc. I. Miſc. ebulliant parum cum Aqu. font. lib. I. Colaturæ admiſceatur Vitell. Ovor. N°. I. Miſc. & calide ſenſim ſorbeatur aliquoties per diem.

51. ELÆOSACCHARUM BECHICUM. ℞. Sperm. Cet. rec. drachm. II. Rad. jrid. flor. Liquir. aa gr. XXX. Gumm. Arab. drachm. I. Sacch. cand. alb. unc. I. Miſc. fiat pulv. ſ. d. in ſcat. ſumatur drachma I. quolibet trihorio per ſe, vel cum Vehiculo calido aquoſo.

52. JUSCULA NASTURCINA. ℞. Herb. rec. Naſturt. aquat. manip. II. jncis. ebulliant per minutum cum juſculi carn. vitul. lib. II. Colaturæ leviter expreſſæ, m. ac veſp. dimidium calide hauriatur. Vitellus ovi gallin. adjectus in ſingulas doſes, juſculum gratius, & ſalubrius reddit.

53. JULAPIUM DEMULCENS. ℞. Aqu. Pap. rh. Lactuc. aa unc. III. ſyr. Papav. rhead. unc. Iß. ol. Amygd. dulc. rec. unc. ß. miſc. dr. ad Vitr. quolibet trihorio ad aliquot cochlearia.

54. DECOCTUM DIAPNOICUM PECTORALE.

LE. ℞. Rad. Bardan. Scorzon. ana unc. I. Alth. Liquir. āā dr. II. Hb. Capill. ♀r. Bellid. c. flor. Flor. Farfar. Verbaſc. ſcabios. Borrag. ana Pug. I. Caric. N°. VI. Inc. miſc. ebull. cum aqu. font. q. ſ. Colat. ℔IV. d. ad Vitr.

55. DECOCTUM AVENACEUM LOWERI. ℞. Avenæ integræ multoties ad puritatem lotæ unc. VI. Ebulliat cum Aquæ fontan. libris XII. in vaſe terreo mundo, ad tertiæ partis conſumptionem, ſub finem add. Rad. cichor. unc. I. Santal. rubr. unc. ß. Sacch. alb. cand. unc. II. Colatura iterata in Vitro reponatur in cella, ad uſum. Doſis libra ß. vel I. tepide mane jejuno ſtomacho, & veſperi bihorio ante cœnam, per 4. ſ. plures hebdomadas.

56. APOZEMA CICHORACEUM. ℞. Radic. Cichor. Paſſul. min. mund. ana unc. II. Nitr. tabul. gr. XXX. inc. miſc. ebull. cum Aqu. font. libr. IV. per minuta X. Colaturæ mane ac veſp. unciæ ſex calide hauriantur per menſem.

57. MAGNESIA RHABARBARINA. ℞. Rhab. ver. elect. Tartar. ⊖lat. â drachm. II. Magnes. alb. unc. I. Miſc. fiat Pulv. ſubt. d. in ſcat. Sumatur drachma una mane ac veſp. cum vehiculo aquoſo.

58. DECOCTUM MOLLIENS, aperiens. ℞. Rad. Alth. Bardan. ana unc. I. Hb. Malv. ſcord. Flor. Chamom. Verbaſc. ana man. ß. Acaciar. man. ij. inc. miſc. ebull. cum Aqu. font. q. ſ. per minuta VI. Colaturæ quolibet trihorio hauſtus calide ſumatur.

59.

59. SERUM LACTIS MEDICATUM. ℞. Flor. Acac. manip. IV. Ebull. cum Seri Lact. rec. libr. II. per minuta V. Colaturæ ſumatur calide lib. I. mane ac veſperi.

- - - - Quisquis homo morbis patet: ipſaque febris
Victorem ulcisci gaudet iniqua ſuum.
Dumque aliis ſervis, fragiliſſima machina lædi
Proximitate ſolet tranſitione mali.
Cerea quæ vigili præbet modo commoda lucem,
Dum ſervit Muſæ, deperit ecce! meæ.

HEERKENS p. 28.

Qui cœlum & terram, & immenſa mundi pomœria regit: qui Pater luminum, fons & ſcaturigo omnis boni, vita & lux, & ſpes omnium fidelium, vitæ & ſanitatis hum. arbiter; qui omnibus creaturis eſt præſidio; qui ſanis dulcia vitæ præſidia, ægris autem fontes paſſim ſoterios, & innumera morborum auxilia, & nihil non ad ſalutem fauſtum omnipotenti & benigna manu largitur, in quo vivimus, movemur, atque ſumus DEO TRIUNI SOLI ſit laus honos & gloria, in ſæcula ſæculorum!

